DE
FEBRIBUS
AB CHYLI CRUDITATE PRODUCTIS

TRIUMVIRIS
AMPLISSIMIS
REI LITERARIÆ PATAVINÆ

MODERATORIBUS

Dicatum Opus

JOSEPH MARIÆ ROCCA FELTRIENSIS
Philos. & Medic. Doct.



FELTRIÆ, MDCCLI.

EX TYPOGRAPHIA SEMINARII,
Apud Eduardum Foliolum,
SUPERIORUM PERMISSU.

ALOYSIO MOCENICO,

JOANNI QUIRINO
ÆDIS D. M.
PROCURATORI,

DANIELI BRAGADENO
EQUITI, ITIDEMQUE PROCURATORI,

ACADEMIÆ PATAVINÆ
MODERATORIBUS

Salutem quamplurimam, ac tranquillitatem
dicit
Joſeph Maria Rocca.



Ntequam Vobis, doctrina, & ſapientia præſtantiſſimis Viris libellum hunc meum medicum offerrem, duo præ cœteris me dubium turbabant, librorum ſcilicet medicorum multitudo, quæ ab impoſterum ſcribentibus

aliquid quodammodo videtur detrahere, tum Nobilium nostrorum temporum a Medicina aversio quædam, ac ejus dedignatio. Utrunque tamen cessit uni opinioni, quam jamdiu concepi de doctrina eadem, atque eximia sapientia vestra, quibus cæteris antecellitis, quod non modo populi, verum & ipsi amplissimi Conscripti Patres de Vobis sentiunt, quum Scientiis, ingenuis Artibus, & Patavino, toto Terrarum Orbe celeberrimo Archilyceo, eruditæque, atque erudiendæ Universitati præposuerint, ad idque ex cunctis selegerint. Quamobrem quum iis dotibus humanissimi Animi vestri ornati sint, & Vos libros a libris egregie distinguere, puto, quemadmodum in hominum multitudine homines ab hominibus; siquidem inter hos illi, qui utiles esse deprehenduntur, bonis omnibus sunt accepti, licet hominum ipsorum confertissimus sit, atque indefinitus numerus: Ita cum Medicæ Facultatis obiectum esse humani generis languentis, sive periclitantis divinitus datum levamen, atque tutela, quod ex Sacris Literis aperte patet, egregie notum Vobis sit, & compertum, eandem nequaquam aspernabimini, veluti quidam alii, quorum nobilitas rerum inscitia obscuratur. Hosce igitur conatus meos benigne excipite, existimationisque, cultusque mei signum clementer probate, dum agens de Febribus, novam notionem hujusce Medicæ, non mediocris Regionis, secundum maximam partem ignotæ, in vestram ditionem redigo. Tractatum hunc meum si æqui bonique feceritis, eundem seipso majorem efficietis. Sicuti enim Naturæ Auctor virtutem astris insevit, quæ hominum labores, segetes nimirum

fru-

frugesque cœteras ad maturitatem perduceret, ita ejusdem Sapientissimi rerum Conditoris providentia lumina quædam, nempe Heroes Mecænates in Terris posuit, per quos labores mentium, Scriptorum videlicet doctrinæ erigerentur, & debitum pondus acquirerent, atque auctoritatem. Hactenus librum; nunc memetipsum Vobis, quos post Superos veneror, dico, ut, si partus a parente locorum diversitate sejungitur, hac cum eo fortuna conjungatur. Valete, ac Reipublicæ, Vobis, facultatumque cultoribus diu vivite.

Dabam Feltriæ pridie calendas Augusti, Anno 1751.

LE

L E C T O R I

MIrum ſane Medicam, tantæ molis, & antiquiſſimam, & maxime neceſſariam Facultatem, quam DEUS OPTIMUS MAXIMUS Sapientum mentibus inſeruit, quamque Majores noſtri, Reges, Heroes, Superi ipſi in honore habuerunt, ita ut Numen, in Terris degens Medici ſimilitudinem ſibi aptare non erubuerit, atque in Sacris Libris exiſtimationem Medico conciliaverit, ac reverentiam; Artem hanc, inquam, noſtris temporibus, quibus tot extant & monumenta Veterum, & Recentiorum præclara, ac celeberrima ſcripta, amplaque remediorum præſtantiſſimorum ſuppellex, & tot tandem, tantique Viri eandem profitentur, attamen adeo parvi fieri, ut vix quidquam bene mereri judicetur; immo ipſam & contemni, & conviciis aliquando peti, & tanquam temerariam hominum carnificinam reputari; & Clinicos ipſos medicinam facere, cui neque fidem habent, neque ſe credere omnino audent! Quænam cauſa iſtius opprobrii? Pleraque jacent in tenebris, omnia confuſa, involuta fere omnia circa Febres, quæ maxima procul dubio ſunt pars ægrotationum, homines & miſere excruciantium, & de medio tollentium. Siquæ vero maxime in occulto verſantur, eæ ſunt, de quibus ſum acturus, quarum genus, ſpecies, originis ratio, multitudo, & diverſitas, iiſdemque tuta, & integra medendi methodus, uſque adhuc latuerunt, ignota earundem phyſica cauſa efficiente. Hinc ad haſce curandas incognitas Febres remedia quædam aut perfunctorie officioſa, aut blanda, atque innocua vulgo habita communiter, ſagaciterque adhibentur; cum notum cœteroquin ſit, etiam externa ulcera, quæ omnia fovet, alitque ſanguinea maſſa, a mulcentibus tantum dolores, inſontibuſque appoſitis depravari, & ſordidio-

diora fieri ; ac talium plurimorum exceſſus efficit , ut illi , qui efficacioribus utuntur , videantur excedere . Neque vero ſibi ipſis ſatisfaciunt qui aliis imponunt , neque nomini ſuo , Artiſque bene conſulunt qui , etiamſi cœtera callentes , in uno quidem , ſed ampliſſimo Genere morborum deficiunt. In Medica Republica multi noſtrum ſymbolum dare debemus publice examinandum , atque experientia probandum ; Alii Auctores alia egregie tractaverunt , ego id DEO dante, pro viribus præſtare conabor , ut Febrium obſcuriſſimas , ac difficillimas explicem , curationemque earundem inſtituam ſecuriorem . In quo ſiqui mihi ſuccenſent pro bono , quod omnibus impertiri ſtudeo , quia remedia quædam minus ſpecioſa , atque ipſis inuſitata , ideoque inviſa commendem , illis eandem reddo rationem , quam eximius affert , meritoque celeberrimus Boheraave , in Præfat. ad Aphor. de cognoſc. & curand. morb. *Nec ſpecioſos* , inquit , *medicamentorum titulos morbis addidi . Cur ? Nihil Arti exitiale magis novi* ; *neque vero ipſe ullum cognoſco , quin ſolo tempeſtivo uſu tale fiat* ; *hunc vero ubique indicare anniſus ſum* , *non perfunctorie* . Itaque non antea illi de iis judicent , ac verba faciant , quam bene fuerint experti , ut ſicuti ab aliquibus Scriptoribus permagna Arti parta ſunt commoda , ita & hoc , quod plane defuerat , accedat . Tu vero , Amice Lector , laboribus meis fruere , & Vale .



INDEX CAPITUM

DE



DE FEBRIBUS AB CHYLI CRUDITATE PRODUCTIS.

CAPUT PRIMUM.

De Loco, & Sede harum Febrium, seu Causæ Efficientis earumdem.



Implex opus hoc meum, DIVINO favente NUMINE, post plures accuratæ, atque assiduæ observationis, & lucubrationis annos, tandem ad umbilicum perductum, ab Affecto Loco inchoandum putavi, ubi Sedes Morbi genuina consistit. Multi quidem, ex Antiquis, doctissimi Viri Chyli Cruditatem, quam nos in Febribus, & respectu Febrium, examinandam, curandamque suscipimus: malamque etiam *alimenti assimilationem* attigerunt, sed perfunctorie admodum, & exigue, pro rei necessitate; atque hanc vastissi-

mam ideam nemo hactenus bene complexus est, in Febrium Genealogìa.

Ex Hippocratis arcanis nonnulla extant, ex quibus magnus Senex Chyli Cruditatem, tanquam causam febrium, cognovisse, perspicitur, præsertim lib. 4. de Morbis, ubi omnium Antiquorum optime, de hoc etiam, sicuti de aliis, loquutus est; verum adeo superficiarii, reconditi, variique passim sunt illius sensus, ut paucæ, mutilæ, & confusæ illius, hac de re, doctrinæ, tanti momenti negotio nullo modo sufficiant; Is tamen ab ventre originem morbi videtur deducere, morbum vero statuere intra vasa sanguifera.

Inter Recentiores, *de Cacochylia, apparatuque pravorum humorum*, ex pravis cibis facto, egit ex professo Georgius Baglivus, *de mesentericis febribus* scribens; atque in mesenterio, primisque viis, sedem infarctus illius, & febrium istarum esse, docuit, hocque fortasse accepisse videtur a Fernellio, qui omnium primus febres intermittentes a mesenterio originem ducere, & causam illarum ibidem existere, judicat Pathol. lib. 4. cap. 9. & 10. lib. vero 6. cap. 7. lentarum, errantiumque febrium exortum, fomitemque illic pariter esse, opinatur.

Post Fernellium autem, Sennertus omnes intermittentes febres a mesenterio repetit, Epitom. librorum de febrib. lib. 2. cap. 17. potissimamque illarum causam, putredinem trium antiquorum humorum, nempe pituitæ, bilis, melancoliæ, excrementitiorum, quos & Fernellius arguit, tanquam focum quendam, figit in mesenterium, ibique generari, asserit, in venis scilicet mesaraicis, primisque viis, colligi, vigere, & reparari, per fermentum veluti quoddam, illic relictum: Et ab ipsis humoribus, ibidem putrescentibus, putridos vapores ad cor mitti, non per cæcos ductus quemadmodum inquit Fernellius, sed *per communionem ra-*

morum

morum Venæ Portæ, *cum Cava*, *& per arterias*, *cum venis mesaraicis conjunctas*: febresque intermittentes, ab his singulis humoribus distinctas, procreari, docet: quotidianam a pituita, tertianam a bile, quartanam a melancolia &c. in quo licet Auctor antiquitatem sapiat, saltem locum, sedemque febrium, & causæ proximæ, atque efficientis earundem, in sanguine constituit, scilicet intra vasa publica, & communia, in particularibus autem visceribus, causam procatarticam, Scholis dictam antecedentem. Recentissimus vero Scriptor, cujus supra mentionem fecimus, Baglivus, post inclitos istos Veteres, & post circulationem sanguinis patefactam, dubius adhuc ambigere videtur, num in mesenterio, an in massa sanguinea, causa proxima, & efficiens febrium mesentericarum, ab Eo nuncupatarum, contineatur, & magis pro mesenterio stare, quam pro massa sanguinis.

Adeo quidem diversa, perplexa, dubia, atque incerta sunt (observationibus quibusdam exceptis, & signis, quæ inter alia, suo loco, recensebimus) pleraque eorum, quæ passim, circa has febres, profert Baglivus, ut nondum constet, primo, quisnam sit humor præcise peccans, ac primarius in febribus hisce culpandus; cum modo *lympham concretam*, *syderatam in suis vasis*, notet; modo *triumviratum humorum excandescentem*, *& bilem ipsam vesicæ fellæ*, modo *cacochyliam putrem*, *primarum viarum*, accuset. Deinde, per Eum, nescimus, quomodo hi humores, quoscunque intelligat, febrem excitent, & per consequens, quænam sit harum febrium causa efficiens, & proxima: num inde fermentatio, num irritatio, obstructio, inflammatio erysipelas determinatæ partis, quemadmodum ventriculi, & intestinorum, aut similis læsio procedat; num demum *Apparatus* Ipsius *Mesentericus* istiusmodi febres *producat*, an *comitetur*. Idcirco nil mirum, si, per Eum, lateat sedes, & locus harum Febrium.

Nihilominus crebrior ejuſdem opinio eſt, apparatum pravorum, & crudorum humorum, ex pravis cibis factum, eſſe ex ſe, per effervescentiam, cauſam efficientem febrium meſentericarum, & hanc ſitam eſſe in meſenterio. Habet quidem, Cacochyliam etiam in ſanguinem ingredi, & *vehementiores excitare fermentationes*, quemadmodum in epiſtola ad Andry, de purgatione in principio febrium, & de febribus Meſentericis Romanorum; ſed *niſi tempeſtive educatur*, in febribus iiſdem, jam natis; idque lib. 1. Praxeos cap. 9. ſection. de febrib. malignis, & meſentericis, ubi febrium, quas vocat lynphaticas, naturam adumbrare contendit, confirmat inquiens: *celeres ruinas*, *præcipitia*, *repentina mala*, & *citam mortem* ſequi, quando *ſanguis trahitur in conſenſum*. Ergo originem, & cauſam proximam, atque efficientem harum febrium, in meſenterio potius, atque in lynphaticis vaſis, quam in ſanguine, reputat.

Veruntamen non poteſt recte intelligi, quomodo in meſenterio, ubi *Morbi Sedem* eſſe, dicit, primiſque viis, fixa materia cruda, & impura, inde eſſentialis febris, ab illius ibidem mora, & putredine exoriatur. Etenim ſi, miſſis vaporibus, qui jam merito obſoleverunt, dicamus per irritationem (quæ minus intolerabilis opinio, in quam cœteræ coincidunt, & quam per *viſcerum turbationem*, Ipſe quoque videtur indicare) alius potius morbus, quam febris eſſentialis ſequetur, nempe vel Vomitus, vel Diarrhæa, vel Cholera, vel Dyſenteria, vel Tormina, cruciatus &c. quorum quidem cauſæ efficienti, & proximæ locus eſſe poteſt in meſenterio, ac primis viis, cujuſmodi Phatholog. lib. 6. cap. 10. Fernelli extat hac ſuper re doctrina; nam irritatio in illis Partibus aut expulſionem comitem habet, aut certe dolorem, qui tamen dolor, etiamſi adeſſet, ab hac ſola materia, vel fermentatione mota, in iſtis obtuſis glan-

dulis

dulis mesenterii, raro is esse valet, ut per se suscitet febrem, nam majores dantur, etiam intestinorum, dolores, sine febre. Et si hæc detur, ab irritatione, & dolore, prorsus accidentalis est, non essentialis. Tandem pleræque harum febrium nostrarum, absque dolore ullo ventris sunt, & tamen vigent; quamobrem neque irritatio mesenterii, aut primarum viarum, esse potest causa efficiens, & proxima harum febrium. Causa igitur essentialis, efficiens, & proxima ipsarum non est in mesenterio, & primis regionibus.

Febres sane ex nostris symptomaticæ dari possunt, & sæpe dantur ab obstructis mesenterii, & primarum regionum glandulis; verum hæc causa haud est proxima, neque propria, ac peculiaris hisce febribus, sed remota, & communis aliis morbis: Cæliaco, Ictero, Atrophiæ &c. Præterea non consideratur a nobis humor, quicunque sit, qui obstruit, aut quomodocunque se habeat, doloremque pariat, aut non, sed solidum vitiatum, atque impeditum, quominus suis functionibus, & secretionibus chylum juvet, cui ista viscera sunt dicata; Sic glandulæ mesenterii, intestinorum, & reliquorum viscerum Abdominis, succos suos non subministrando, chylum rudem deserunt, qui in sanguinem ingressus, eum contaminat, ejusdemque circuitionem turbando, febrem inducit, atque omnis tandem tragædia in massa sanguinea exercetur.

Cœterum Cacochylia nunquam, dum tota permanet, aut solummodo existit in primis viis, febres ullas, *humorales* dictas, hujusmodi sive acutas, sive chronicas, sive essentiales, sive symptomaticas, per se, ac proxime generare valet, sed quidem ubi sanguinem occupaverit, ac vitiaverit; sola enim massa sanguinea est subjectum, in quo sedem ponere, & in quod immediate, jugiterque agere debet morbosa materia, ut hasce febres excitet. Idque vel

ex

ex eo patet, quod pro diversa sanguinis dispositione, iisdem positis procactarticis, remotioribus causis, modo nascantur, modo non nascantur hæ febres; nam si sanguinea massa, quantitate, & qualitate moderata servetur, vix quidquam lædunt eædem cruditatis causæ; Sic puerperæ quædam, lochiis bene euntibus, lactantes, dum valde mediocrem victum, ob partus recentis incommoda, & virium imbecillitatem, sumere deberent, impune capiunt debito ampliorem, qui, sine his emunctoriis, morbum procul dubio faceret; lochia autem corrigunt sanguinis superabundantiam, & fæculentiam, lactatus chyli; similia præstare solent aliæ hæmorrhagiæ, tum evacuationes, non solum naturales, verum etiam morbosæ, atque artefactæ; sic helluones quosdam videmus, & cibis quibuscunque, & incongruo tempore, & vino abuti, vegetos tamen, saltemque immunes ab his febribus periculosis, diu vivere, quia tum frequenter narium, aut hemorrhoidum sanguineis eruptionibus gaudent consuetis, tum artefacta emissaria, vel ulcera, chylo manantia, in corpore gerunt, vel ignobiles partes decubitibus habent obnoxias, quæ si cessent, aut imminuantur, statim ægrotant, ac fere hisce ex febribus. Quod si contra sanguis ad cruditatem dispositus sit, Chylus ipse, per se vix culpandus, facile generabit hujusmodi febres, quod in sequente apparebit.

Locus igitur, & sedes harum febrium est intra vasa sanguifera, in massa sanguinis; namque ibi sedes morbi est statuenda, ubi causa proxima, & efficiens existens, suum proxime dat effectum; quod ipsa experientia comprobatur, dum sanguis, vel ab initio febrium, ex chyli cruditate productarum, extractus, sæpe sæpius chylosam in superficie exhibet concretionem.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

Quotnam ſint Cruditatis Fontes, & quænam Cruditas magis noxia.

CHylus itaque indigeſtus, crudus, ſanguinem inficiens, & turbans, eſt harum febrium materia. Is vero non unico modo crudeſcit, ſed multipliciter tum in primis regionibus, tum in ſanguine.

In primis regionibus crudeſcit Chylus ex mala materia; crudeſcit ex nimiis, variiſque alimentis; crudeſcit, quando viſcera, huic digeſtioni dicata, languida ſunt, debilia, aut obſtructa, & vitiata. Quæ omnia, per ſe, adeo perſpicua ſunt, ut probatione, & ſignificatione non indigeant.

In ſanguine crudeſcit Chylus, ob nimiam ſanguinis, ob nimiam ſui copiam, ob vitium vaſorum, & viſcerum, ſecundæ digeſtionis.

In ſanguine igitur crudeſcit Chylus, primo quando ſanguis ipſe nimium abundat; maſſa enim ſanguinea plenitudine excedens, ad cruditatem generandam maxime diſpoſita eſt; quandoquidem vaſa nimio fluido turgida, quæ vix huic capiendo, & movendo ſufficiunt, qua ratione, ac vi atterent, comminuentque chylum, ita ut in aliam ſubſtantiam, nempe in ſanguinem, indeque in ſuccum nutritium, queat commutari? quamobrem male ſubactus remanet, per ſe exiſtit inutilis, crudus, morboſus; hinc Hippocrates *bonum habitum*, ideſt plethoricum, *ſtatim ſolvendum* jubet in Aph. *ut corpus rurſus nutriri incipiat*.

Quod ſi ob nimium ſanguinem crudeſcit chylus, eo magis ob nimiam ſui abundantiam, cum Chylus, ex proprietate ſua, ſit vaſis oneroſior, viſcidior, ac lentior, quam ſanguis. Iſque, licet bonus ingreſſus fuerit, in ſanguinem,

quum

quum copia vires ſuperat, a Natura regi nequit, neque in ſecunda officina concoqui, in ſanguinemque converti; quare ſuperfluus iterum crudeſcit, & Naturam gravat: idque probari poteſt ex eodem Hipp. lib. 4. de Morbis: *id porro aſſero, ſi humor pluribus, quam tribns diebus, in corpore permaneat, aut alius multus implens accedat, venis caleſcentibus, ac ſtantibus, majus malum, aut minus homini ſignificationem de ſe præbere: hyeme quidem minus, & poſterius, æſtate vero majus, & prius &c.*

Præterea crudeſcit Chylus, in ſanguinem ingreſſus, quando, additione nulla facta ſanguineæ maſſæ, vaſa ſanguiduca, vel univerſali, vel particulari defectu, debilitata, tum etiam quando pars alia præcipua, Chylo intra vaſa ſanguifera, ulterius digerendo, & in ſanguinem compingendo creata, non comminuunt, conterunt, & intime non inſerunt Chylum in ſanguinem.

Quod ad primum, & generale vaſorum ſanguiferorum vitium, docent fere omnia ſecta cadavera, in vaſis quibuſdam arterioſis, ac venoſis, & corde ipſo, exhibentia polypoſas maſſas, ſeu caudas albicantes, quæ nihil aliud ſunt, quam Chylus crudus, in morbo (quandoquidem in morbo quocunque, præſertim ingraveſcente, ad interitumque tendente, imbecillitas adeſt omnium vaſorum, unde minus movetur maſſa ſanguinea, & multo minus conteritur chylus, quod idem eſt, ac crudum hunc linqui) coacervatus, cujus rudes partes adinvicem magis accedere tunc cœperunt, quando magis langueſcere vaſa, & paulatim ceſſare incepere a motu, qui tantam cohæſionem antea impediebat, ſanguineam maſſam, licet morboſam, quoquo modo miſcendo; modo autem evidentiſſima, & conſumata cruditas, inducta ab vaſorum omnium ineptorum culpa, indeque adeo condenſata, oculis ipſis, & tactui apparet: Vaſa porro, quæ vitio aliquo, etiamſi particulari, laborant,

quo-

quomodo ſanguinis circuitioni, ob organicum impedimentum, difficiliori, promovendæ ſufficient, & chylum etiam conterent, ſubigentque, cum videamus Aneuryſmati, grandem arteriam occupanti, cœtera vaſa compati, & chylum in ſanguine non bene concoquere, ſed crudum ſinere, huncque in chyloſas concretiones paulatim faceſſere, eoque deponi, ubi pars debilitata, ubi vas fractum?

Quod ſi alia Pars præcipua, per quam tota maſſa ſanguinea tranſit, & in qua eadem maſſa, præter communem a vaſis ſanguiducis, alteram inſuper habet ab aere compreſſionem, promotionem ad circulum, conquaſſationem peculiarem, alternam, qua in eodem ſanguine circulans chylus ulterius perficiatur (qualis eſt Pulmo) vomica, tumore, aliove ſimili organico morbo detineatur; a tumore incumbente, coarctantur tum bronchia pulmonalia, tum reliquæ veſciculæ; unde imminuitur reſpiratio, qua mediante, & modo recenſita promotio ſanguinis ad circuitum, particularis, ſic concuſſio, & optima concoctio chyli ab aere peragitur, tum vaſa ſanguifera publica, & privata Pulmonum eorundem inde anguſtiam patiuntur, atque a ſanguine difficilius tranſeunte diſtenduntur; hincque creſcit reſpirandi difficultas, quia adhuc minor aeris portio, & ſegnius per læſam inſpirationem attrahitur, qua nonniſi ægre, tardiuſque ſanguis per pulmones trajicitur, non conquaſſatur chylus cum ſanguine veniens, non elaboratur, neque in ſanguinem compingitur in vaſis diſtentis, neque ſatis pulſatis. Præterea cum Pulmo, ſicuti antea innuimus, ſit veluti totius ſanguinis janua, per vaſa publica, a dextro cordis ventriculo ad ſiniſtrum tranſeuntis, cumque ſanguis, dicta de cauſa, difficile, & tarde per id viſcus iter faciat, in reliquis vaſis omnibus quodammodo redundabit, eaque gravabit retardata in toto corpore maſſæ communis circuitio; illinc

igitur onus, & difficultas viribus motricibus cœterorum omnium corporis vaſorum, indeque minor ubique in chylum actio, minorque ejuſdem concoctio. Quamobrem, poſito organico morbo pulmonum, magna cruditas in ſanguine generatur. Inde frequentes tumores œdematoſi pedum, & crurum, in morbis pulmonum diuturnis, qui a nulla alia ſunt materia, quam a chylo crudo, allatis rationibus, in ſanguine congregato, & in adipoſam harum partium extremarum membranam, ob plenitudinem, & tarditatem circulationis, expreſſo.

Alia itaque cruditas primario in primis regionibus procreatur, alia interne in ſanguine. Diximus in præcedente, cruditatem in primis viis natam non gignere has febres, niſi in ſanguinem migret, ibidemque remaneat. Primarum vero viarum cruditas haud ſemper ſanguinem inficit, indeque haud ſemper ita noxia eſt, ut haſce febres generet; nam aliquando corrumpitur, & irritat, atque antequam ſanguinem inquinet, aut per vomitum, aut per ſeceſſum ſibi viam facit; quod præſtare ſolet cruditas, quæ a nimiis ſit, præſertim variis, alimentis, quæque ab languore ventriculi, inteſtinorumque procedit. Tum ſubjunximus, cruditatem in ſanguine non remanere, vel non pari, pro variis accidentibus; ſiquidem cauſæ quædam exteriores, quæ alias efficere conſueverunt cruditatem, etiam internam, quibuſdam, propter jam adductas rationes, parum nocent. Primarum igitur regionum cruditas nihil majus habet cœteris cauſis exterioribus; immo etiam cauſæ, quæ fere hanc faciunt, interdum neque faciunt; ſic in robuſtiſſimos ventriculos, iiſque aſſuetos, ſi incidant alimenta, concoctu difficilia, & prava, æque ac bona digeruntur. Nimia, pro aliqua vice ſumpta, alimenta interdum neque crudeſcunt, ſed ab adoleſcentibus, præcipue fortioribus, vinci ſolent, itidemque a quibuſdam creſcentibus pueris concoqui, & in bonam nutri-

tio-

tionem, augmentumque corporis, consumi. Organa primæ coctionis debilia habentes, male digerunt quædam, & ipsis nimia; verum, si pauco, & selecto utantur cibo, cruditatem non patiuntur.

Corpus ex Sanctor. de ponderat. *ob externa errata, non labitur in morbos, nisi antea aliquod viscus habeat præparatum. Præparatio hæc cognoscitur ex solito majore, vel minori pondere, non sine aliqua præcedenti molestia, acquisito.*

Præparatum viscus sive in primis regionibus, intelligitur, ventriculus scilicet, hepar, lien, pancreas, glandulæ Peyeri, mesenterium, male habitum, maleque suo munere fungens, sed præcipue tubus intestinalis pressus, aut obstructus; sive in secundis, nempe sanguifera vasa, aut nimis plena, & gravata, aut quocunque modo debilitata; tum vitiatum viscus, chylo perficiendo, & commutando necessarium, quod est Pulmo.

Externa omnia, quando cruditatem, hisce febribus aptam, generant, corpus primum præparant, ac male disponunt: deinde, crude replendo, febres ex chyli cruditate pariunt. Hinc illa omnis perniciosa cruditas sive a mala materia, sive a copia alimentorum, &c. ea est, quæ alvum obstruit, & secretiones cœteras impedit, aut imminuit; item aliæ causæ omnes procatarticæ, tum quæ fluidum, tum quæ solidum respiciunt, illæ solæ vere, & absque dubio perniciosæ sunt, quæ sive hoc, sive illud male præparando, chyli in sanguine concoctionem, & expurgationem prohibent. Pejores causæ, quæ huic impeditæ concoctioni, & expurgationi chyli superadduntur; cruditate enim incipiente, ac remanente in sanguine, idem corpus non modo externæ, vel levi causæ cedit, sed, in eodem crescit cruditas, etiamsi chylus neque ex mala materia, neque absolute nimius, neque crudus ingrediatur. Interna chyli cruditas a nimia fit vasorum plenitudine sanguinis,

ſeu chyli, ſeu utriuſque: plenitudo autem ad vaſa, & ad vires, vera, aut apparens; cruditate parta, plenitudini cito, atque ex facili additur repletio; nam crudum non immutatur, nec loco cedere ſolet, immo ſecretiones ipſius ſanguinis potius detinet, & novum ingeſtum alimentum pariter crudeſcit, ac remanet, unde repletio; & eo magis, ſi alimentum vitioſum ſit, multumque implens, & cauſæ morboſæ perſonam gerat; atque, in repletione, nulla prorſus fit bona ſecretio, quemadmodum inquit Hipp. lib. 4. de morbis: *venæ ſuperimplentur, valde autem impletæ nihil ex ſe ipſis remittunt;* & tunc homo ſive alatur, ſive non alatur, ægrotet opportet; nam ſi alatur, & non excernat, augetur cruditas, & pondus; ſi non alatur, vires decreſcunt, eodem fere pondere permanente.

Præterea febres excitat, eo deteriores, quo diutius latuit interna cruditas, eoque adhuc graviores, ſi accedente alia aliqua cauſa, virium motricium æquilibrium magis, ac repente deprimit.

Tandem peſſima cruditas, quæ in ſanguine a cauſis pluribus & variis generatur.

CAPUT TERTIUM.

De Cauſis procatarticis, & proxima, efficiente, ac eſſentiali harum Febrium.

SAlus in æquilibrio conſiſtit, inter fluidum, & ſolidum; ita ut alterum æqualiter, pro ratione, in alterum agat. Quum autem ſolidum nimis præpollet fluido, morbi fiunt: quum fluidum ſolido, morbi itidem fiunt, & Chyli Cruditas, præ cœteris, dominatur, & per conſequens, ex chyli cruditate Febris.

Quapropter cauſæ omnes, minus proximæ harum Fe-

Febrium, aliæ ad fluidum, aliæ ad solidum spectant, & ob id in duas distinguuntur supremas Classes. Classis prima eas continebit causas, quæ in fluido resistentiam augent; altera eas, quæ solido afferunt debilitatem. Simulque omnes ita Febrium harum causas, tam remotiores, crudum chylum quomodocunque ex se parantes, aut languorem ventriculo, intestinisque afferentes (unde chyli cruditas in primis viis exoriatur, ac præparetur, in sanguinem transitura, eundemque gravatura) quam propiores, resistentiam sanguineæ massæ ingenerantes, aut sanguiduca vasa, solidumque viscerum debilitantes coctionis secundæ (unde chyli cruditas in massa sanguinea nascatur) sub duos eosdem respectus fluidi, & solidi, generaliter comprehendemus.

Utraque vero Classis in tres subalternas causarum series dividetur.

Primo igitur resistentiam fluidi communis, seu massæ sanguineæ, augent ea omnia, quæ sanguinem abundantius subministrant, & congregant cujusmodi sunt; potatio liberalis vini; victus copiosus in illis, qui fortes sunt; vacatio a curis, & laboribus; suppressio mensium, hemorrhoidum, hemorrhagiæ cujuscunque consuetæ; consuetæ phlebotomiæ omissio, in sanguineis; impeditæ sanguinis secretiones, & præcipue sanctorianæ perspirationis; magni membri mutilatio; vasorum non paucorum imminutio, aut constrictio; temperamentum multo gignendo sanguini accommodatum. Excessus autem quantitatis sanguinis cruditatem chyli, ex dictis, facit; & Plethora simplex evadit in compositam.

Sanguis non modo, quando copia; verum etiam quando mole excedit, vasis incommodum affert, eorumque obest functioni, quia ipsorum latera, seu parietes nimis expandit, quo minus moveri, contrahi, minusque chylum comminuere valeant, atque concoquere. Sanguinem vero

rare-

rarefaciunt : calor Solis , balneorum , hypocausti ; acria , & spirituosa sumpta ; retenta fuliginosa , mordax materia perspirabilis, in callidioribus temperamentis ; exercitium corporis intensius , potissimum æstivo tempore ; Animi fortes affectiones: ira , amor &c. venus , in biliosis , & alia , quæ plethoram , ad vasa apparentem , inducunt.

Tum resistentiam sanguinis amplificant illa omnia , quæ cacochymam plenitudinem , seu plethoram , ut priscæ Scholæ ajunt , compositam gignunt ; seu potius plethoram ad vires , hujuscemodi sunt : temperamentum generans nimium chylum ; nam chylus , si quantitate peccat , peccat etiam qualitate , ex iis , quæ cap. antecedente habuimus ; lautus victus in illis , qui simplici , rudique mensæ accumbere solebant ; crapula , & vini abusus , præsertim in debilioribus ; sic victus plenior , post longam inœdiam ; cibi , licet boni , dati in accessione alicujus febris ; nimia nutritio , in omni morbo , aut in puerperio ; alimenta , per se vitiosa , quemadmodum fercula , ex fungis parata , caro morticina , ac putrida ; annona immatura , aut parum exsiccata , aut situ corrupta ; quæcunque demum alimenta insipida , glutinosa , tum nimium viscida , simulque pinguia , & nimis nutrientia , sicuti caro suilla , pinguedines , omnia nimis oleosa ; somnus nimius , seu insolitus statim a cibo. Defectus , aut imminutio liquorum , chylum in via perficientium ; dura , & suppressa alvus , & quæcumque id præstant ; narium , & oris , per quæ etiam chylus excrementosus , ex Hipp. evacuatur , expurgatio prohibita ; ulcera antiqua , & fonticuli si claudantur ; chyli distributio per habitum corporis impedita.

Quæ ad solidum referuntur , causæ & ipsæ trium specierum sunt , atque effectuum : ac primo quædam solidi robur minuunt , atoniam , proprie dictam , solido inducendo , quemadmodum usus aquæ palustris , & immotæ : inso-

soli-

ſolitus, longuſque aquæ potus; vel repentina converſio a vini generoſi ad aquæ potationem: Alimenta inſipida oleoſa; farinacea non fermentata; omnia emollientia: Aer humidus, auſtralis, vel pluvioſus, nebuloſuſque, qui alicubi endemias iſtiuſmodi parturit febres: Nimia in balneis aquæ tepidæ dulcis mora, aut frequentia: Somnus diuturnus, immodicus, præſertim in obeſis, atque phlegmaticis: Excedens quies: Animus deſidioſus: Ortus ab humidis, languidis, ægriſque parentibus.

Effectus cauſarum hujus claſſis, eſt Solidi quidem totius in genere debilitas, ſed quorundam damnum, maxime in particulari, ſentitur: veluti ab aqua paluſtri, farinaceis non fermentatis, emollientibus omnibus alimentis, oleoſis &c. languor, & atonia primario infertur viſceribus primarum regionum, & per conſequens eorum obſtructio. Ab ambientibus profecto, & a pravis ingeſtis, ſed potiſſimum a nimia quiete, & ſomno debilitatio, atque hæbetatio naſcitur vaſorum ſanguiferorum; ſiquidem a muſculis non pulſati vaſorum parietes remittuntur, relaxantur, & humore ſuperfluo eorum tunicæ imbuuntur, ſpirituſque in illos non vivide determinati pene feriantur, atque ſopiuntur, unde magis vaſa magiſque torpent. Ab aere tandem humidiore, craſſo, impuro flacciditas pulmonum, & exinde eorum infarctus, aliique organici morbi; aer enim in pulmones diſtincte agit; ſæpiſſime tamen ab hæreditaria molli pulmonum diſpoſitione eorundem chronica impedimenta, atque incommoda contrahuntur.

Quædam ſolidum infirmant, ſpiritus animales, a quibus ſolidi tonus, & vigor præcipue dependet, conſumendo; ſicuti hemorrhagiæ largæ, & perennes; ſeminis fluxus; ſalivatio nimia; prolixæ lachrymæ, & quæcunque enormis ſecretio; dolores maxime longi, & nocturni; ſtudia nimia, quocumque tempore, ſuſcepta; mœror, anguſtiæ, diuturnus

nus timor, sollicitudines; vigiliæ excedentes, continuæ; casus præcipites repentini, præcipue in hyppocondriacis, hystericisve; virulenti halitus, miasmata per aerem dispersa; Appoplexia, attoniti Morbi; Paralysis, Syncope; æffæta senectus.

Aliæ demum causæ utrunque faciunt, simulque solidum reipsa relaxant, & spiritus animales perdunt, quemadmodum labores nimii, ac perquam violenti, seu diutius continuati; immoderata venus; morbi chronici, lenti viscerum, & maxime oppilationes, eorumque labefactatio; cœtera namque consentiunt; violentissima, aut diuturna Hyppocondriacæ, hystericæve passionis symptomata, quæ vim inferendo solidum enervant, unaque spiritus dissipant; dura, & longa flagellatio, & his similia.

Causæ quæcunque, hactenus recensitæ aliæ propius, aliæ remotius, id præstant, ut chylus crudescat, neque permittunt, ut in sanguinem possit rite converti; quare is, tanquam per se, existit, sanguineam massam se ipso crudo superfluo infarcit, mole, & pondere auget, partiumque irregulari numero, ordine, figura, indole, perturbat, atque vel viscidam, lentam, crassam, simulque inæqualem ejus diathesim efficit; aut, si minus crassam, minus viscidam, minusque inæqualem, saltem totam ubique minuta cruditate pleniorem: utroque modo nimium viribus motricibus resistentem, & circulationi minus aptam; unde distensione vasorum, ab circuitus difficultate, inducta, vasa sanguifera premit, ac stimulat, fitque causa efficiens, & proxima harum Febrium, quæ scilicet est quid inflammatorium.

Hoc differt ab inflammationibus Partium essentialibus; veris, & genuinis, quia magis universalis, magisque vaga, in hac, est materia peccans. In veris inflammationibus cœterum corporis solidum forte est, ac repente, data ansa, in minus resistentem partem sanguinem figit; in hoc autem

Mor-

Morbo universa sanguifera vasa vel nimium onerantur, vel atonica languent, vel utroque laborant; neque idcirco idem præstare solent, sed fere generalis phlogosis fit, dum aut passim, aut ubique, aut passim simul, & ubique crudus chylus vasorum vires fatigans sanguinis cursum implicat, atque retardat. Recipit magis, & minus, prout majores, minoresve fuerint descriptæ causæ procacticæ, & pro cæterorum accidentium varietate; estque minus, magisque vaga morbosa materia, prout magis, minusque inæqualis est vitiatæ sanguineæ massæ crasis; & solidum iniquiorem, vel æquiorem habet tonum; inde fit, ut non raro pars aliqua, præ cæteris, afficiatur acuto, vel chronico symptomate.

CAPUT QUARTUM.

De Signis.

FEbrem, arbitrantur quidam, Naturæ tormentum esse, tanquam bellicum, quo se ab internis hostium injuriis tueatur; nihilominus iis ego potius assentior, qui Febrem tanquam pugnam reputant, ab Natura cum seditiosa, & peccante materia initam; nam si primum, cerneretur solius Naturæ vis, & actio, Febrisque una esset, ac eadem ubique, & sibi omnino similis; veruntamen in quacunque febre morbificæ etiam materiei cujuscunque suus apparet renisus, atque conflictus; quinimmo in eadem materia varii status, & varia accidentia ejusdem, a diversis causis procacticis, diversis causarum gradibus, diversis tandem temperamentis, ætatibus &c. proficiscentia diversas febrium conditiones, species, earumque symptomata varia faciunt. Sic ob id non plurima solum sunt Febrium nostrarum symptomata, sed omnino quoque varia, inter se diversa, atque anomala; ideo non parvi laboris fuit ambages extri-

care, & rectam, facilemque diſtinguendi viam invenire, ac monſtrare. Sunt igitur ſigna diligenter hic pertractanda, & ordine diſtribuenda.

Quemadmodum cauſarum examen naturam morbi rite diſtinguit, ſic inter ſigna eaſdem recenſere abs re non erit, ut & tempeſtates, quibus potiſſimum hæc dominatur infirmitas, nec non & temperamenta, quæ eidem ſunt magis obnoxia, ut Diagnoſis cunctis nitatur fundamentis.

Cauſæ ſuo loco perlegendæ, quæ quum communes ſunt, Febres ex chyli cruditate epidemice graſſantur; cæterum intercurrentes obveniunt.

Autumno, maxime ad initium, & Vere vigere ſolent, ac propagari iſtiuſmodi Febres, potiſſimumque poſt pluvias, atque in auſtralibus, inæqualibuſque conſtitutionibus; raro aquilonari Hyeme, exceptis tum levioribus, tum ſymptomaticis; Æſtate quæ occurrunt fortiores eſſe conſueverunt.

Temperamenta haud ſola *melancolica*, & *ſtudioſa*, ſed & ea, quæ bilioſa, & pituitoſa vocabant Veteres, ſunt his febribus obvia, & præ cœteris plethorica; quæcunque igitur corpora in has febres labi poſſunt, ſed ea maxime, quibus aliqua evacuatio conſueta ſiſtitur, aut imminuitur.

Porro Acutæ, lato modo ſumptæ, Febres ex chyli cruditate aliæ admodum inæqualem typum habeat, aliæ minus inæqualem, ſibique conſtantiorem; ideoque in inæquales, æqualeſque, & per conſequens in duas diſtinctas Claſſes dividuntur. Utraque vero Claſſis binas continet ſpecies febrium.

A primis exordiendo, altera Species Inæqualium incipit cum aliquo impetu, ſed poſtea: in aliquibus citius, in aliquibus tardius: remiſſionem ſimulat, cum quadam etiam apyrexìa, verum fallaci; nam interim triſtis ſenſatio totius, laſſitudo occupat, & temulenta vertigo &c. ita in mitiorem quodammodo faceſſit febrem, quæ tamen veſpere in aliis primo, in aliis altero, cum ſuis ſymptomatis ſubinde creſcit,

ſcit, adeo ut his tantum horis ægroti febre laborare aſſidentibus videantur, dum reipſa febris continua eſt, & mane quoque ægrotantem moleſtia, licet parciore afficit; & pulſus quidem tunc temporis neque major, neque naturali frequentior apparet, verum ſæpe inæqualis; mitiſſimus etiam calor; veruntamen interea gravativus quidam dolor caput aliquando aſſidue, aliquando per vices affligit vagus, locumque mutans, ſicuti & dolores quidam in aliis leviores, in aliis aſperiores, in multis inconſtantes, aliarum partium. Lingua, veluti ſi foret ſimilagine conſperſa ſuperiorem ſuperficiem, album refert velamen; atque in hiſce mitioribus præſertim febribus ſemper humida eſſe conſuevit; ſæpiſſime in pueris, interdum in adoleſcentibus, nonnumquam in adultis album iſtud linguæ ſtratum crebris punctis interſignatur; cujuſmodi obſervatur in illis, quos Variolæ, aut Morbilli aggrediuntur. Præterea ſciendum, haud ſemper album eſſe iſtiuſmodi linguæ fucum, ſed primis fere ſolis diebus; nam, matureſcente morbo, ad mellis colorem ut plurimum tendit. Denique in ſenioribus iſta tinctura linguæ non ſemper palam, multumque diſcernitur, niſi ad linguæ radicem. Sic itaque febris, cum mediocribus acceſſionibus, in nonnullis lente protrahitur, atque ſive paulatim finitur, ſive in chronicas tranſit; in nonnullis vero exacerbatur rurſus, non multum durante remiſſione, quod juvenes aliquando experiuntur, ubi vel plenior, & pro ratione morbi incongruus fuerit victus, vel ubi ſudores (qui tamen raro in hac humiliori ſpecie comparent, aut ſaltem parvi, & non perſeverantes) quomodocunque promoti copioſius fuerint, & in acutam ſæpius evadit periculoſam. Hæ febres frequentiſſime primas ætates occupant, cæterum etiam cujuſcunque ætatis homines, nimis ſanguineos.

Species autem altera, adveniens frequentius corporibus retuſis non raro paulatim, ſegniterque incipit, ac per le-

viores quasdam periodos, deinde in acutarum, interdum & gravissimarum censum migrat. Hujus speciei febres contra ac primæ, quando premere incœperunt, in dies crescunt, neque aliquam integram diem (nictemerum inquam) remissam, quemadmodum illæ, largiuntur. Exacerbantur quidem diebus fere imparibus: tertia, quinta, septima, nona; nonnunquam tamen & paribus. Linguæ tegmen vel ad livorem vergit non siccum, crassius, quam in supradictis, sordidiusque; vel ex albicante fit, circa quartum diem, obscurum in medio, ad latera album farinosum, utrunque aridum, & lingua aspera, sicca, & veluti callosa; non raro lentor quidam glutinosus, aut luridus dentes inquinat. Quandoquidem aliæ inæquales sensibilius ingruunt, calidiusque urgent, ad hanc tamen speciem referuntur, quia in dies augentur. Harumque majorum inæqualium aliæ graviores, aliæ calidiores sunt, aliæ minus in utroque excedunt, attamen invalescunt. Surditas huic speciei magis familiaris, & copiosior sudor, unctuosus sæpe, ac viscidus.

Ambæ hæ febrium species fere cum horrore inchoant; ut plurimum in principio utrarunque frigus, calorque per vices ægros lacessunt; aliquando etiam frigus longius occupat, & ad plures horas lentum extenditur, pauco admodum micante, & frigus dirimente calore; quidam febricitantes eodem tempore frigus, caloremque percipiunt; plurimi frigus primis tantum diebus patiuntur, alii quotidie etiam in progressu morbi, quidam stata hora, quidam sine ordine; frigus tamen provecto morbo sensim decrescit, & abit; nonnulli contra æstivo tempore hisce febribus sine ullo, aut cum frigore exiguo, ac vix notabili corripiuntur, diuque affliguntur, ad declinationem vero frigus paroxysmos exorditur, hæque ex calidioribus sunt; cæterum calor utrarunque principio primæ classis ferme excepto, sæpius est parvus, vixque naturalem excedit in ipsa accessione, in eademque

que inconſtans, vagus, inæqualis corpus afficit, volas autem manuum magis habet, nonnunquam & pedum; aliquando, quibuſdam tamen ſolummodo in locis, exurens percipitur; extra acceſſionem non raro naturali etiam remiſſior eſt; ſiquidem ambæ hæ Acutarum ſpecies præſeferunt acceſſiones peculiares, & diſtinctas, ſeu duplicationes ut plurimum veſpertinas, ocyus, aut ſerius aggredientes, cum ſymptomatum comitatu; eædem acceſſiones, præſertim in ſecunda ſpecie, interdum nocturnæ ſunt, nonnunquam & matutinæ; item in hujus ſpeciei acceſſionibus ſæpe urgent ſymptomata dira magis, quam manifeſta febris, atque hujuſcemodi febres graviores a nobis dicuntur. Præterea acceſſiones, ſeu duplicationes frequentiores habere ſolet hæc ſecunda ſpecies, ita ut ipſæ aliquando ſeſe invicem excipiant, aut vix uni finitæ alia ſuccedat, ubi cauſæ intenſiores.

Pulſus tam in una, quam in altera ſpecie extra acceſſiones non raro febrem penitus celant, atque diſſimulantur; interdum in ſecunda ſpecie, in gravioribus ſcilicet ejuſdem febribus, pulſus apparent naturalibus, ſaniſque pulſibus rariores, ac neque in ipſa acceſſione febrem, per frequentiam, manifeſtant, quod rarum in prima ſpecie; pulſus præterea tum primæ, tum ſecundæ ſpeciei, in principio potiſſimum, & in augmento, inæquales eſſe poſſunt ſecundum omnes dimenſiones, ſæpe & intermittentes; at illæ inæquales, quæ per æſtatem ſine, aut cum pauco frigore incipiunt, primis diebus non amplius accedente, quas ſuperius calidiores nominavimus, pulſus habent & ſibi magis reſpondentes, & frequentiores, & vere febriles.

Demum omnes hæ deſinere raro conſueverunt, antequam intermittant. Aliquando in adoleſcentibus inæquales incipiunt, & poſtea in æquales alteras convertuntur.

Illas pariter, quæ ſimiliorem, conſtantioremque typum habent, in binas alias ſpecies diſtinximus.

Pri-

Primæ insidiose, leniterque capiunt, præ cæteris, senes edaciores, pauloque habitiores, atque effœtos languidos homines; neque hæ semper arcent, saltem antequam morbus invalescat, ab consuetis officiis ægrotantes, neque a cibo, consuetoque vini potu, per damnum ipsis sensibile, deterrent, donec auctis causis, eosdem sine ullo tamen strepitu, videlicet absque fortiore symptomate, sola vertigine, & impotentia gravius premant, eosque vel per se sensim in vitæ periculum conijciunt, vel in Aquam intercutem, sive in veram Cachexiam, vel in Lepram tandem cum desipientia perducere solent, hosque morbos etiam chronice comitari. In hac specie pulsus tantum major, & fortior, quam in Chronicis, semper frequens, saltem sensibiliter inæqualis. Calor fere parvus totum æqualiter occupat corpus, sed in lecto, & calido cubiculo caput, præ aliis partibus, affligit, tum dorsum, præcipue tempore pomeridiano vespertino, quo febris intensior; cæteris in locis, raro mane, parum vespere, naturalem superat. In hac vertigo fere major, quam dolor capitis; sitis sæpe moderata adest.

Hujusmodi febres inter chronicas conscribendæ quibusdam viderentur, eo quia absque ullo diro symptomate ut plurimum sunt, & plerosque diutius affligunt, antequam in chronicos istos facessant. Veruntamen *ob hanc causam febres senibus non similiter acutæ fiunt, frigidum enim eorum corpus*; eadem ratio militat pro crassis, atque phlegmaticis. Itaque acutæ saltem *ex decidentia* reputandæ sunt, & quia earum causæ graves sunt, & quia ipsæ febres sunt insidiosæ, quoad sensum ægrotantis, & quia demum pulsus earundem magnitudine, & duritie antecellunt pulsibus chronicarum.

Altera species febrium acutarum æqualium, & constantiorum, corporibus quidem etiam mediocribus obvenit, sed ad calidum inclinantibus est magis familiaris; ex vino, similibusque, paulo liberalius sumptis spiritibus, aut ex alia

ca-

calidiore cauſa occurrit. Vel ab initio fortis eſt hæc febris, & modo deſignatam febrili univerſali calore excellit; in hac quippe ſymptomata omnia minus inconſtantia, minus inæqualia, magiſque univerſalia. Hæc vel ſine, vel cum frigore modico æquali ſolet incipere, indeque cum calore viriliter perſeverare, nullamque deinceps horroris viciſſitudinem afferre, neque diſtinctæ acceſſionis invaſionem; mane quoque viget, tantummodo ſenſibile febris augmentum adeſt fere die declinante. Pulſus in hac frequentiores, quam in antecedente, ſed minus duri, neque, ſicuti in pleriſque ex illa ſpecie, palam inæquales; perfunctorie tangenti æqui videntur, ſibique omnino reſpondentes pulſus; verum attenta, longaque exploratione, initio ſaltem, & in augmento morbi, aliqua fere iniqua diverſitas evincitur, modo nanque pulſus aliquanto frequentius micant, modo rarius: modo plenius, modo demiſſius; vel modo hic, modo ille pulſus frequentior, plenior altero.

Alternatio dierum, qua una die gravior, levior altera eſt febris, in ſpeciebus inæqualium quandoque cernitur; in hiſce æqualibus vix unquam tale quidquam agnoſcitur. Hæ præterea abſcedentes vix unquam in periodos ſecantur, ſenſibiliter invadentes.

Majores porro, ac periculoſas ex chyli cruditate Febres dira alia ſymptomata ſæpe comitantur, deliria nempe, convulſiones &c. quæ aliis quoque acutis morbis communia ſunt; ſed hæc eadem in inæqualibus quid peculiare habere conſueverunt, in illis ſcilicet deliria ad inſanam fatuitatem magis accedunt, non ferocia ſunt; veruntamen haud timenda minus, quia obſcura, & cum tendinum ſubſultu, ac cum inæquali, aut fallaci pulſu apparentia; ſic & quidam ſoporoſi affectus, aut lethargi, in acceſſionibus evidentiores, cum eodem pulſu.

Alia inſuper acutiſſima, & perniciosiſſima ſymptomata, ſeu

ſeu ſymptomatici morbi hiſce febribus acutis tam inæqualibus, quam æqualibus interdum conjunguntur, qui febres reddunt periculoſiſſimas. Hi autem ſymptomatici morbi, quoniam malum etiam regimen, victumque ægrorum conſequuntur, ideo tum binis inæqualibus, cum duabus æqualibus hujuſcemodi acutarum ſpeciebus competere poſſunt; cæteroqui, rebus bene actis, primæ inæqualium ſpeciei inſueti eſſe ſolent; Inæqualibus alteris ſunt maxime familiares, illiſque inter alias, quæ neque pulſum naturali tardiorem habent, neque naturali hebetiorem calorem. Tales itaque morbi ſunt Pleuritides, ac Peripneumoniæ ſpuriæ, Volvulus, Maligna putredo. Priores profecto morbi partium ſunt, ſed harum febrium ſymptomata eſſe cognoſcentur, ſi incrementum in febrilibus acceſſionibus ſumant; hæc autem poſtrema, nempe Malignitas eſt obſcurior, utpote quæ tanquam doloſe aggreditur, clam initio ſerpit, & propagatur. Signa certa putredinis, unde malignitas, ſunt peticulæ in mali moris, obſcuraque febre, præſertim pravi coloris, quacunque acceſſione, aut exacerbatione evidentiores, & frequentiores; maculæ ſeu rubræ, ſeu ad livorem vergentes, ampliores; & alia exanthemata, carbunculi &c. Signum vero certiſſimum malignitatis eſt contagium.

Hactenus acutarum, breviorumque ſigna deſcripſimus; nunc ad febrium longarum, continuarum ſigna delineanda deſcendimus; quandoquidem noſtræ intermittentes, præter ſigna quædam ex communibus, nihil inſuper habent proprium, niſi intermiſſionem.

Ad Chronicas igitur continuas veniendo, harum pariter aliæ ſunt inconſtantes, & multum abludentes, aliæ conſtantiores, ſibique ſimiliores.

In has aliquando deſinunt acutæ cujuſcunque claſſis, non bene, atque omnino judicatæ; atque pro diſpoſitione ægrotan-

tantium, aliisque accidentibus, aut Constantes Chronicæ fiunt, aut Inordinatæ.

Cœterum Inconstantes, titubantesque fere semper nervorum affectionibus, quemadmodum doloribus, aliisque molestis, diuturnisque similibus superveniunt ægritudinibus, a quibus tam in primis viis, quam in sanguine cruditas generatur, ac priori malo supperadditur, illud etiam intendens; sic Celsus Medic. lib. 1. cap. 10. ubi, *quid observandum sit nervorum dolore laborantibus*, tradit, subdit: *Cruditas enim id maxime lædit, & quoties offensum corpus est, vitiosa pars maxime sentit*; hinc quum *duobus doloribus simul non eundem locum occupantibus major alterum obscuret*, hæ febres quasi furtim ingruunt, ita febrilia symptomata: frigus etiamsi repetat, & calor ab initio ut plurimum mitiora, parumque sensibilia, quia affligentibus scilicet nervorum symptomatis, ad novum vasorum sanguiferorum laborem minus attenditur.

Capere frequentius solent temperamenta gracilia, solitudinis amantia, inertia, languida, nonnunquam & nimis crassa, ac densa, coloris obscuro-flavescentis, ea tandem, quæ *ataxiæ* spirituum (ut græco usitatiore vocabulo horum crasim, proportionemque, iniquas denunciem) obnoxia sunt; mulieres aliquanto sæpius, quam mares.

Hæ id habent, quod admodum irregulares, inconstantesque sint illarum accessiones, & pulsus; tum fortiores passim sint, longioresque harum sive accessiones, aliquando & cum frigore natæ, sive exacerbationes, & noctu quoque fere vigeant hæ febres, & capitis regiones magis teneant.

Constantiores Chronicæ, quando primario, ac per se aggrediuntur, initium habent sicuti acutæ inæquales, quæ cum impetu incipiunt, posteaque evidenter remittunt, quo spectare videtur illud Hipp. lib. 3. præsag. de feb. num. 7. ubi tum acutarum, tum longiorum, & chronicarum febrium circuitibus, & durationis prænotionibus in genere positis,

ſubjungit: *ſed hujuſmodi morbos, qui longo ſpatio finiri debent, ab initio perquam difficile eſt diſcernere, quod ſimillima ſint eorum principia.* Incipere igitur ſolent cum intenſione aliqua, & impetu, deinde ab acutarum gradu dejiciuntur, & chronice perſeverant. Sicca, & hirſuta corpora, potiſſimum declinante ætate, præ aliis, invadere ſolent. Ideo conſtantes, ordinatioreſque dicuntur, quia primis diebus ob vividiorem febrem moleſtioribus tranſactis, miteſque factæ, quamvis pomeridianis horis aliquantum auctæ, adeo placide, ſimiliterque ægrum conſumunt, ut vix ſe febre laborare percipiat. Pulverulentum craſſius ſedimen in urina in hac ſpecie obſervatur, morbo jam veteraſcente; ſic in extenuatis ſæpe ſudor nimius, aut permulta urina effunditur, ſæpe alvus tetras fæces profuſiſſime, ac liquide emittit.

Ambæ hæ febrium Chronicarum claſſes, ſeu ſpecies, præter continuum lentum filum, ſuos nodos habent, nempe exacerbationes quotidianas, pauco tempore a paſtu, primis exactis diebus, ſemper magis apparentes. In utraque adeſt ſegnities, torpor corporis, macies, extenuatio, languor, incrementum ſumentia ab ampliore victu, aut magis nutriente, unde & febris, & ejus ſymptomata augentur. Lingua ſæpe qualis in primis acutis inæqualibus deſcripta fuit, ſed varia. Pulſus parvus quidem extra acceſſionem, ſed ferme duriuſculus; in acceſſione major, & plenus; hicque calorem diſtinctum, & notabilem tangenti exhibet, præcipue in acceſſione; quo tempore calor quoque præcordiorum, & abdominalium viſcerum percipitur ſimilis æſtui calcis vivæ, nondum refrigeratæ, pigre quidem, ac lente in tentantem ſeſe exerens, ſed impreſſionem poſtea vividiorem intendens; idque maxime in claſſe, ac ſpecie conſtantiore. Unctuoſus quidam putor venit ab ægrotante. Alvus in principio, augmento, & ſtatu, rebus nondum perditis, plerunque ſegnior, in fine ſæpe alvi fluxus ingruit. Urina

fere

fere ſemper naturali ſimilis, niſi quod in prima ſpecie aliquando pallidior, aliquando rubicundior. Interdum oleoſum quoddam ros in ſuperficie inſpicitur.

Frequentiſſima vero, atque idcirco communia tam Acutis, quam Chronicis ex chyli cruditate Feoribus ſymptomata ſunt: capitis ſaltem initio dolores, pro diverſis cauſis, & diverſa febrium conditione, diverſæ intenſionis, ſed ut plurimum gravativi, obtuſi, fere in omnibus inæquales; capiplenium; creſcens, decreſcenſque vertigo.

Os glutinoſum; in aliis inſipidum, in aliis ingrati, fœdique ſaporis, in aliis & ſalſum, in quibuſdam dulce; ſpiritus in pluribus graveolens acidum, aut ranceſcentem, aut pinguedinoſum odorem; in quibuſdam ructus nidoroſi, ac fætentes. Lingua albicans initio, ſenſim obſcurior fiens (ſervatis differentis) in pleriſque acutis, & chronicis. Sitis plerunque abeſt, quidam etiam ſitiunt, raro tamen enormiter.

Fere omnes ſatietas, ac magnum cibi faſtidium tenet, quoſdam vomitus torquet, nonnullos cardialgia, per vices ingruens, aut urgens. Nonnunquam puſtulæ in aliquibus benignæ, in aliquibus mali moris, in ore, palato &c. exoriuntur, quæ Aphtæ nuncupantur.

Multæ tum acutæ, tum chronicæ incipiunt cum quadam cervicis tenſione, modo majore, modo minore; pariter non paucæ ex utriſque corripiunt cum aliqua intumeſcentia, ac duritie glandularum gutturis, aliquando & inguinum. Interdum tumores majores, cutis colorem raro, vixque immutantes in aliis externis corporis partibus naſcuntur, qui non ſuppurant, quique pro diſſimilibus diſpoſitionibus in quibuſdam mitiores ſunt, quaſique critici, in quibuſdam moleſtiores, ac mere ſymptomatici. Nonnunquam abſceſſus ſuppurantes, qui in acutis magis in habitu, in chronicis magis in viſceribus.

Hyeme, ac vere dolores thoracis, in his febribus, ſæpius vagi, & recurrentes; & ſiquando firmantur, non tamen

aſſidue eodem modo cruciant, nec ſibi conſtant; interdum cum tuſſi occurrunt. Dolores tenſivi laſſitudinarii habitus, dorſi, artuum &c. inæqualiter, inconſtanterque pleroſque acutis hiſce febribus laborantes affligere ſolent; in aliis tamen magis, in aliis minus perſeverantes, magis, minuſque diffuſi; nonnunquam ita intenſi ſunt, qui artus occupant, ut Arthritidem mentiantur; Quoſdam & chronice ægrotantes proſequuntur.

Ex iis, quæ ſupra habuimus, etiam pulſus inæquales, quos ſatis deſcripſimus, quandoque & intermittentes Febribus ex chyli cruditate perquam familiares eſſe conſtat, fermeque communes.

Sudores viſcidi unctuoſi fere caput, aliquando & corpus, ut plurimum medium, vel in primis quandoque exacerbationibus madefacientes, in aliis parcius, uberius in aliis; in inæqualibus etiam ſine magno, atque adeo ſine notabili calore, interdum prorumpunt.

Fæces plerunque croceæ, colore ovorum vitellos imitantes, in nonnullis albicantes, luteæ, in aliquibus virides, in aliquibus muccoſæ, pingues, viſcidæ, in multis duræ, cretaceæ, aut obſcuriores, paucæ; Liquidæ modo ſinceræ, modo variæ ſunt, modo ſimiles ſtrigmentis, ſæpius fœtidiſſimæ.

Vermes etiam quibuſdam per ſuperiora, quibuſdam per inferiora; modo vivi, modo mortui; plerunque cum viſcoſiſſima, videſcente fæce egrediuntur.

Urinæ cujuſcunque generis eſſe poſſunt; quapropter nonnunquam rubicundæ ſunt, cujuſmodi initio quarundam febrium, licet inæqualium, tamen vividiorum primæ claſſis acutarum, & in vehementibus æqualibus claſſis ſecundæ, atque in furoribus tumultuoſarum chronicarum, reddi conſueverunt. Cœterum urinis ſanorum ſimiles ſpectantur, interdum oleoſiores; pallidiores in phlegmaticis &c. A pueris quibuſdam, hiſce febribus laborantibus, aliquando perfunduntur urinæ lactis ſerum imitantes, & quaſi tales etiam a nonnullis ſenibus,

in

in quibus cruditates redundant. Non raro urinæ quoque impediuntur, & pauca quantitate exeunt.

Sanguis extractus sæpe sæpius in febribus inæqualibus acutis, tum in senilibus dictis, tum in chronicis, dummodo ex amplo foramine, & describens circulum eruperit, apparet tectus superficiem ab sebaceo coagulo, quod non omnino est quale pleuriticorum, sed multoties ab eo differt, quod facilius secatur, & color haud mere albus est; sed flavo-viridem aliquando admixtum habet, aliquando ad cæruleum tendit, veluti si olei amurca condensata sanguis idem perfusus esset; non tamen id, pro diversis accidentibus, in omnibus est æque conspicuum; neque in quibusdam inæqualibus æstivis callidioribus patere solet coagulum, & in secunda specie acutarum æqualium constantiore tale quid raro reperitur.

Diximus ab initio, cruditatem vel in primis viis generari, indeque sanguinem infici; vel intra vasa, & in sanguine crudescere chylum. Hactenus fere de symptomatis, & signis febrium, a chylo rudi, crudo, putrido in sanguine quocunque modo jam stabulante effectarum; nunc autem primas quoque vias, quas vix attigimus in signis communibus, distincte explorare, ac signa propria tradere indigesti apparatus primæ regionis, & ingressus morbosæ materiei in sanguinem, opportunum duco, quo facilius ex hac parte incipiens morbus cognosci possit, atque inde vitari.

Indigestum igitur apparatum primis viis inesse, jam jam sanguinem infecturum, indicant primo, post causas potissimum externæ cruditatis jam notas, alvus parca, aut styptica, & dura; fœdus oris halitus, similesque ructus; tum flatuum inferne emissorum insolitus fœtor, veluti fæcum diu asservatarum.

Deinde dolores ventris, quandoque & acutiores, qui pro loci, quem occupant, diversitate, diversos mentiri valent

lent affectus ; sæpius autem armos tenentes , plerunque interpolati, qui versione , aut concussione , aut pressione exacerbantur.

Præterea rubor genarum insolitus , & sudor in corpore obortus, absque alia causa, docente Hipp. in coac. *circa faciem bonus color , & sudores sine febre , stercora vetusta aut subesse significant, aut inordinatam vitæ rationem.*

Quod si ipsum ingressum impuri, ac indigesti chyli in sanguinem , notare velis, id commonstrant vagi, inconstantes, leves quidam horrores, horripilatio , lassitudo, ac tristis sensatio universalis , nunc magis, nunc minus molesta ; pulsuum mutationes , inæqualitates , intermittentiæ ; capitis vespertini gravativi dolores . Hæc omnia de primo sanguinis inquinamento Te commonefacient . Sin autem febris etiam quantumvis levis , intermittentisque , periodos quasdam exortas perspexeris, in sanguinem subrepisse , in eoque existere, scito , tantum cruditatis , quantum non solum inficiendo sanguini , verum & æquilibrio tollendo inter vires , & massam, jam nimis resistentem, sufficit ; unde quasi de seditione paulatim commonefacta, & sollicitata Natura defensionem , & prælium moliri conetur.

Hic porro adnotandum, hæc signa cruditatis in primis viis existentis , aut ejusdem transitus in sanguinem , haud omnia semper adesse in omnibus , sed fere quædam in his, quædam in illis ; tum non semper tempore inter se distingui , veruntamen sese interdum excipere , interdum uniri . Quando autem ista principia sensibiliter quidem tentant, sed obscure, & confuse, in quibusdam ætatibus sæpe vermibus, modo & hystericis affectionibus in mulieribus imputantur , in aliis alicui alteri morbo , cui forte sunt maxime obnoxii, præsertim siquod , huic favens opinioni , accidens intervenerit.

CA-

CAPUT QUINTUM.

De multitudine, & particularitate Febrium, quæ ab Chyli cruditate nascuntur; Earum descriptiones; Febrium quarundam, quorundamque symptomatum distinctiones; & Febres, minus creditæ hujus generis, argumentis probantur.

SPeciales ideas, ac specialia signa Febrium ab Chyli cruditate in præcedente capite tradidimus, in præsenti vero Febrium, ab hac eadem causa productarum, magis peculiares, proximasque notiones, & distinctiones necessarias tum ipsarum, tum symptomatum ponere conabimur. Ibi ad suas specierum classes signa, hic ad suas classes, & species febres ipsæ nominatim reducuntur. Has autem ferme omnes, sub diversis titulis hactenus habitas, ab aliis multiplicibus causarum fontibus repetebant Medici Scriptores; quare & numero, & superficiali diversitate ipsæ terrebant, cunctosque propemodum fallebant. De iis itaque in præsenti fusior sermo instituendus, harumque natura, atque essentia una prorsus, eademque cum natura, & essentia febrium nostrarum pro viribus demonstranda.

Acutæ febres a quibusdam in tres partes dividuntur; nempe in acutas minores, majores, seu periculosas, & pessimas, sive malignas. Id quoad conditionem; quoad typum vero, eas in inæquales, æqualesque distinximus. Itaque secundum omnes has primarias qualitates ordinatim subalternæ species febrium ex chylo sunt disponendæ.

Inter primas primum locum obtinent Ephemeræ, quarum plurimæ a chyli cruditate ortum ducunt. Veruntamen hoc loco adnotandum, symptomata præcipua Ephemerarum ab indigestione chyli plerarunque ab omnibus non bene observari, fortasse quia, pro quibusdam accidentibus, aliquando

absunt. Sine frigore, aut cum admodum levi adoriri solere Ephemeras, multorum sententia est, quum in nostris notabile frigus, interdum & longus horror inchoet febrem, atque adeo in quibusdam frigoris, calorisque initio detur vicissitudo; dolet in his non raro guttur; adest vertigo insignis; lingua albedine farinosa superficiem obducitur, quæ in pueris, quandoque & in adolescentibus, punctis liberis intersignatur; pulsus aliquatenus inæquales; urina contentis multo abundantior, ita ut crassiores nebulas, in fascias distinctas, in Ephemera tali olim observaverim. Hæc sunt frequentiora Ephemeræ nostræ. Capitis autem dolor tensivus, affligens sensatio totius &c. sunt communia, & perpetua quaruncunque Ephemerarum.

Febres etiam Ephemeræ ab impedita mera transpiratione nascuntur; crebrius tamen a chyli cruditate, quam a transpiratione retenta Ephemeras progigni, contra ac vulgaris fert opinio, ex ipsarum causarum procactarticarum animadversione colligere licet; nam causæ externæ frequentiores, silendo crapulam, atque ebrietatem, sunt labor, calor, effræna venus; causæ internæ Animi pathemata vehementiora, dolores &c. quæ omnia chylum crudum reddendo, hasce febres generare, ex traditis constat, atque tradendis. De retenta autem perspiratione fusius alibi. Ephemeræ porro ex sola impedita transpiratione ortæ hæc habent peculiaria: linguam videlicet mere rubicundiorem; pulsus frequentes, & admodum æquales; diffusam, raram, diaphanam, levem in urina saturo-citrina, aut rubente nubeculam; quid vaporosum potius, quam sudor e corpore exhalat in declinatione.

Ad Acutas minores ex chylo spectant Febres Catarrhales dictæ, quæ primis quidem diebus intensiores esse solent, cum reliquis mox recensendis symptomatis. Exinde vero cum inæquali capitis dolore, ejusque arteriarum sæpe molesta pulsatione, obtusis ejusdem sensibus, gravitate, & capiplenio

pro-

protrahuntur, interdum cum irregularibus acceſſionibus; cœterum, mane, plerunque parvę eſſe ſolent, ſero autem creſcere. Pulſus in pluribus inęquales. In omnibus triſtis adeſt ſenſatio totius, & quidam torpor. In multis humidioribus præſertim, ac ſenibus, hæ febres raucedini junguntur, tuſſi, abundantique pectoris excretioni, quæ cum ad aliquot dies producantur, ſub ſpecie Pthyſeos quoſdam terrificant; diſtinguitur tamen catarrus a Phtyſi, de quo vide Morton in Pthyſiologìa.

Febres Rheumaticæ deſcriptarum ſorores, ſed ſenſibilius cruciantes, aggrediuntur cum doloribus aliquando dorſi, aliquàndo artuum, in quibuſdam vagis, in quibuſdam fixis, ac ſtabilibus, qui præ moleſtia motum impediunt, interdum & ipſam in lecto verſionem, quandoque noctu magis affligentes. Modo hi lateris muſculos punctionis ſenſu afficiunt, tuſſique, ac reſpiratione, potiſſimum liberiore, exacerbantur Pleuritidem mentientes. Rheumaticos tamen dolores a Pleuritide diſtinguere non magni eſt laboris, cum reliqua abſint a Rheumate Pleuritidis eſſentialia ſymptomata: difficilis crebra reſpiratio, inſignis tuſſis, & febris fortis cum pulſu duro ferme, ac ſerratili. Interdum iidem dolores in Abdominis muſculis exiſtunt, & pro viſceribus affectis accipi poſſent, niſi integræ illorum functiones, ſarta, & tecta œconomia, defectuſque ſymptomatum propriorum morbi cujuſcunque viſceris, incolumitatem eorundem ſatis demonſtrarent; atque locus dolorum extra viſcera, in habitu in muſculis, tum ipſorum vagatio, aut eorum propagatio, ſeu diviſio in alia membra, procul a viſceribus illius Cavitatis, de rheumatico affectu commonerent. In hiſce febribus caput, maxime internum, quaſi liberum eſſe conſuevit. Et primo lapſo, aut altero die, exiguus admodum eſt calor. Pulſus, niſi quod veſpere aliquantulo citatior, ſano ſimilis, veruntamen attentiſſimo tactu ſentitur inæquali-

tas, aut inconſtantia in vibrationum intervallis. Lingua ſuperius leviter farinacea &c.

Differunt Febres Rheumaticæ a vero Rheumatiſmo, quod in ipſis dolores non ſunt tam cito, ac repente mobiles, verſatiles, neque univerſales, ſparſive, quemadmodum in illo. Vix ullus poſt initium caloris exceſſus, acrimonia in carnibus horum febricitantium, admota manu, nulla percipitur.

Pleuritidis, atque aliorum morborum larvam induunt dolores, qui neque Rheumatici vere ſunt, ſed a materia in primis viis premente; de doloribus ventris loquor, qui a compacta dura fæce in inteſtinis hærente exoriuntur, quoſque diximus alios ſimulare affectus. Sub coſtis (diaphragmatis enim fornix partem inteſtinorum, etiam craſſorum, protegit) Pleuritidem fingunt, quia tuſſi, ſiqua adeſt, aliquando etiam reſpiratione exacuuntur, ſeu in iiſdem emergunt; ſed hi quoque differunt, per abſentiam reliquorum Pleuritidem ſectantium; tum abdominales eſſe, per alia ventris, id arguentia incommoda, evincuntur. Dignoſci poſſunt ab ipſis Rheumaticis, per loci affecti profunditatem. Interdum in regione dextra hyppocondriorum hepatis cruciatus mentiuntur, & cum dolore tumor quoque, ac renitentia, preſſionem etiam ægre ferens circa partem deprehenditur; verum tum per reliqua diſtinguuntur, tum per non mutatum in flavum faciei colorem; niſi tamen aliquod rarum accidens copuletur; nam abdominalium viſcerum functiones aliquando magis turbare valet hæc cauſa, quam unquam poſſint Rheumatici, aliique externi dolores; veruntamen omnia graviora, & fortiora, ubi hepar primario, atque eſſentialiter afficitur. In ſiniſtro hyppocondrio hi dolores ſpecie fallunt lienis laborantis, eo quod in aliquibus ibi inteſtini colon eſt angulus, quem difficilius rudis fex ſuperſcandit, ac tranſit; aſt hi dolores fere intenſiores ſunt, quam laxo, atque

obtu-

obtuſiori ſpleni tribuantur. Horum profecto obſcurior diagnoſis, ſiquis alius extraneus, ac diſſimilis prævius jam occupet morbus, aliuſve etſi naturalis turbaverit eventus. Pro primo, aliquod lumen affundet hyſtoria illirici cujuſdam militis, de peditum turma, cui gallico morbo jam infecto, fœdaque ſcabie laboranti cum ſuppurato in inguine bubone, ſupervenit doloroſa ventris tumiditas, qua de cauſa ad eum viſendum Augurdi, ubi tunc degebam, vocatus fui. Mediocriter turgebat venter; dum tuſſiebat, experiebatur in regione epigaſtrica acutum dolorem, qui ad epicolicam quaſi telum eodem tempore pungendam, & ad ſpinam perveniebat; dum movebat buſtum, aut ſeſe ab horizontali decubitu extollebat, mirum in modum armorum intima dolebant, & præcipue ſiniſter, qui externa quoque digitorum preſſione multo magis angebatur, nec tolerare poterat, idem, ſed levius, patiebatur etiam in dextro. Alvus liquida, verum pauca reddebat. Ex pulſu febre non carere conijciebatur. Pulſus inæqualis ſemper erat, ita ut diaſtoles modo paulo major, modo minor, modo poſt brevius, modo poſt longius momentum ſequeretur. Hac in diverſa ærumnarum turba, quomodo hujus moleſtiſſimi, de quo maxime quærebatur, ſymptomatis notionem aſſequemur? Patiens cognoſcendi ſtudium, & omnium accidentium animadverſio, cauſarum præſertim, principiíque recens natæ moleſtiæ, alterum ab altero multum differre morbum, me docuit, huncque poſtremum, Abdominis nempe dolorem, & febriculam, ab alia omnino cauſa pendere, quam a gallico; nam petenti reſpondit, ſe tunc primum dictam ventris torſionem paſſum eſſe, quum immaturos quoſdam fructus, craſſiſſimaſque fruges ſemicoctas, præ fame, devoraſſet; quare cauſam illius tumeſcentiæ, dolorumque ſæpe acutorum, conſtitui in materia indigeſta, ſtyptica, & dura, inæqualiter hærente cellulis colon, ac inter illius irregularia ſpatia li-

quidioribus partibus concedi descensum, indeque crassa magis figi, cogitabam; hincque ab ejusdem duritie, mole ampliore, & incumbentium pondere admodum sensibilem tunicam nerveam intestini distentam, ac lacessitam hos pati cruciatus, judicavi; membrana enim nervea quo magis tenditur, eo fit sensibilior, sicuti musica chorda, quæ quo magis trahitur, eo acutiorem plectro tentata edit sonum; sic isti dolores crudeliores fiebant a compressione manus, vel etiam ab actione musculorum abdominis, in erectione, & rotatione busti, nec non in tussi, in quà ipsa etiam concussio irritantis intendebat violentiam. Febriculæ vero causam esse, sensi, intestinalem liquidam cruditatem, in sanguinem ob impedimentum liberi descensus ingredientem, & circulationem sanguinis ejusdem perturbantem. Exitus opinionem comprobavit; ista enim cretacea fæce, iutestina occupante, & supradicto modo obstruente, per remedia, atque alimenta idonea, ex alvo educta (quam nonnisi post alterum diem æger conatibus emisit multis, antea sentiens pluries, dum ea descendebat per intestinalem tubum, vagos non intensos dolores) & tumiditas, & tormina ventris, & febris, & pulsus inæqualitas prorsus cessaverunt. Pro secundo, satis sit scire ex Auctore de virib. medicament. cujus liber Boheraave Nomine inscriptus aliqua continet quocunque celeberrimo Scriptore digna, part. 3. cap. 4. de eccopr. in puerperis cretaceas istiusmodi fæces intestinorum recessus in infimo ventre aliquando tenere, & quum ipsæ mulierculæ inde langueant, pro placenta uterina ab imperitis haberi. In talibus etiam interpolati, sæpe vero minores ab ista dura fæce hic sunt dolores, quia ibi mollius cubant intestina; atque hic quoque cœtera desunt peculiaria symptomata, quæ tale uteri retentum consequi solent. Dolores hactenus designati ab dicta fæculenta duritie, in intestinis oriundi, mitioribus quidem febribus pluries adjunguntur, sed obscuris etiam interdum, insidiosisque, de quibus mox agendum.

A mi-

A minoribus itaque ad insidiosas, gravioresque Febres Acutas quasi per gradum ascendendo; inter eas, quæ fallaci lenitate corripiunt, locum promereri videntur Quotidianæ continuæ, sicuti Quotidianæ etiam illæ pene omnes, quæ intermittentes perperam nuncupantur; siquidem remissione quadam quietiore, nonnunquam & longiore, quam illæ, quæ continuæ vocantur, intermissione vero perfecta distingui, non vult Avicennas, neque re vera, nisi raro, atque in parca causa, intermittunt.

Certam distinctionem veræ intermittentiæ ab remissione haud esse absentiam febrilis caloris, & frequentiæ pulsus, ex antecedente cap. constare potest: tum in remissione pulsum quidem rarum esse posse, attamen obtusum, & inæqualem; caput, & musculos hic illic leviter, inconstanterque dolitare; capitis gravitatem, atque vertiginem, modo majores, modo minores, sed ferme continuas persistere. Contra in vera intermissione omnino liberum est caput, & corpus ab tristibus istis sensationibus, & pulsus est quasi naturalis. Quæ vero nullo alio differunt; nisi per magis, & minus, juxta vulgatum illud, non mutant speciem.

Signa itaque tam continuæ Quotidianæ, quam magis remittentis (ideoque intermittentis titulo immerito donatæ) ab Auctoribus observata hic præsto sunt, ut cum Febrium nostrarum Signis, quæ in superiore capite attulimus, conferri possint. Simili comparatione uti etiam dabitur imposterum, quandocumque hujus generis ditioni, ac familiæ alias febres plures submittemus, quas alii diversis nominibus insignire gestiebant. Ad Quotidianam igitur, de qua sermo vertitur, redeundo, *Latica* dicebatur, eo scilicet, quod calore inerte stipata; *non intenso*, quique *modo diletescere, modo augeri videtur, accenditurque inæqualiter, ita ut modo calor, modo frigus initio sentiatur. Pulsus parvus, rarus, tardus. Nulla fere Sitis*. Paroxysmi *ad duodecim, aliquando ad viginti quatuor*

tuor horas extenduntur, nec bene terminantur. Exacerbatio autem plerunque fit circa vesperam. Ex Senner. & River. de Quotidian. contin. & intermitt. *Febris Epiala quidem & ipsa continua est, & Quotidiana; ab reliquis tamen Quotidianis eo differt, quod ægri eodem tempore simul calorem, & rigorem percipiunt.* Ex Sennert.

Horrifica Febris ea dicitur, in qua horrores frequentes solent accidere. Ex eodem.

Sic hujusce Classis est Febris illa Sydenham, quam eximius Vir in proc. int. in morb. cur. & in sch. mon. de nov. feb. ingr. tanquam penicillo depingit, quamque alibi *novam* appellat, alibi *stationariam ab anno* 1685. *ad annum* 1690. *in qua calor, & frigus sese invicem excipiebant; artus pariter, & caput dolebant; pulsus interim fere sanus.* (Atque hi scilicet sunt illi artuum dolores, qui aliquando Arthritidem simulantur, ita ut pro Arthritide vera ab Medicis acceptos viderim, quia scilicet & juncturas excruciabant, & prima exacta die frigoris, & caloris, alternorum, pulsus febrem non bene ostendebant; distinguuntur tamen a vera Arthritide tum per alia symptomata febrium ex chylo: capitis dolorem obtusum inæqualem, vertiginem, anxietatem: incrementum, sive exacerbationem a cibo, horis distributionis chyli per sanguinem, habentia: per designatam linguæ tincturam &c. tum quia & hi dolores in hisce febribus vagi, atque interpolati esse consueverunt, & ipsi quasi accessionales, nisi ordinem, rithmumque turbaverint incongrua remedia; præterea ab hisce febribus abesse solent tumores, ac rubores affectarum partium, Arthritidi familiares.) *Nonnunquam tussis; dolor circa collum, & fauces; exacerbatio febris prope noctem; inquietudo; sitis; lingua vel humida ex omni parte pellicula alba, & scabra vestita, vel sicca fusci coloris in medio, quam partem undique cingit fimbria inalbescens...... Proclivis est in hoc morbo ad Phrenesim lapsus..... Æger potius tranquille de-*

li-

lirat.... Sudores ab initio ſymptomatici divexant..... Ab intempeſtivo cardiacorum uſu, & regimine paulo callidiore peticulæ ſæpius efflorefcunt, (quas tamen, neſcio qua ratione, malignitatis inditia eſſe negat, & malignum omne ab his febribus abeſſe mordicus tenet, dum frequentius inde diſſeminatum contagium per ſe ſatis validum contrarium eſt argumentum. Neque ille proprie malignus morbus, qui mali moris habet ſymptomata, aut cujus nequitas tecta, quæ tantummodo inſpicere hic, & refutare videtur Auctor; alioqui pro primo reſpectu, Affectio ipſa Hyppocondriaca, quæ ſymptomata affert inconcinna, ac perquam moroſa, & improba, malignitatis notam ſubire mœreretur; pro ſecundo vero, fiſtuloſi quidam ſinus, & reconditi abſceſſus maligni dicendi eſſent, quia abditi, nec niſi eruditorum Practicorum conjecturæ apparentes: quorum utrunque abſonum prorſus, atque inauditum; nam ſicuti malignus homo non dicendus, niſi aliis proditorie, nil omnino mali iis agere viſus noceat, atque inopinata mala ſtruat, ita malignæ ex eo potiſſimum, ac primario nuncupantur quædam febres, quia clam contagium, morbumque aſſidentibus incutiunt.) *Et in junioribus callido temperamento præditis, maculæ etiam purpureæ...... quandoque eruptiones miliares, morbillis haud abſimiles &c.*

Elodem vocabant febrem acutam, cum ſudoribus fere continuis ſymptomaticis juntam; namque ab ſymptomatis harum febrium nomina deducebant Antiqui. Veruntamen ſymptoma noſtrarum graviorum febrium ex chyli cruditate frequentiſſime occurrens, eſt ſudor copioſus vel ab initio erumpens; Et memini me vidiſſe, ac tractaſſe febrem continuam periculoſam ex chylo cum pulſu admodum inæquali, cum ſanguine extracto amurcam in ſuperficie referente, in anicula quadam ipſo hyemis tempore diu, noctuque mire exſudante; atrophìa interim miſerrima etiam conſumebatur, & aliquando lypothymìa quoque corripiebatur, ita

ita ut & *Colliquantis*, & *Syncopalis* ideas quaſdam adumbrare videretur.

Aſſodes pariter, in qua ægri jactantur, & frequentibus inquietudinibus aguntur, graviter morbum ferentes, cum nauſea ut plurimum, & vomitu, ad has accedere jure cenſetur. Qua ratione anxietates, & inquietudines fiant in pluribus, etiam ex oppreſſione univerſali, quam in ſequente capite enunciabimus, inferre licebit; præterea quum in ventriculo potiſſimum, qui exquiſito ſenſu donatur, diverſæ indolis cruditates miſceantur, fermenteſcant, quaſique bileſcant, *quia exoriri ſolent*, ſequi pergit Riverius, *ex afflictione ventriculi ab acri & bilioſo humore, ejus orificium, & tunicas mordente*, neceſſario excitabuntur, ex hac quoque parte, jactationes, angores, vomitus, quæ ſymptomata ab iſto locali accidente, etiam ſine febre, occurrere poſſunt, maxime vero in febribus ex chylo; nam quemadmodum gaſtrici ſucci, quando boni ſunt, digeſtioni inſerviunt, ita hi ab chyli cruditate in ſanguine, quæ eſt febris cauſa, vitiati, perque glandulas ventriculi morboſe ſecreti, tumultui excitando apti ſunt, cum videamus, ab alterata ſaliva guſtum ipſum in febre manifeſte depravari.

Febres Verminoſæ dictæ, graves quæ ſunt, & acutæ, ex hac plane turba eſſe judicandæ; ſunt enim *febres continuæ, quæ pluries in die exacerbantur.... cum anxietate, ſudore frigido, interdum & cum Animi deliquio, nauſea, vomitu, & ſiti inexplicabili. Pulſus eſt inæqualis. Genæ alternatim rubent, aut liveſcunt.... Interdum etiam capitis gravitas, & ſopor. Interdum deliria &c.* ex eodem River. de lumbric. Urinam quoque craſſam, & lacti ſimilem in hujuſmodi febribus obſervat Auctor de vir. medicamentor.

Hæmitriteum, ſeu Semitertianam Febrem omnino duplicem, ſemperque complicatam ex duabus febribus eſſe, Majores noſtri arbitrantur, hancque progigni ſæpius, dicunt, a Quo-

a Quotidiana cum Tertiana copulata. Hac de re uberius infra differetur, ut quænam fit vera Semitertiana Antiquorum, quænam noftra, quæ longe frequentius contingit, quifque diftinguere valeat. *Dignofcitur ifta Febris*, inquit Riverius, *quod continua, & horrida fit, cum multis reduplicationibus, maximifque fymptomatis, quod acceffio diebus imparibus invadat cum horrore: paribus vero cum aliquo tantum frigore extremorum. Pulfus in ea frequens, inæqualis. Urinæ crudæ, tenues, decolores, interdum turbidæ, cum nullo, aut malo fedimento.* Ex his fymptomatis nonnulla utrique Semitertianæ, fpuriæ nimirum, & veræ, communia effe poffunt, fed pleraque notham, nempe febrem acutam inæqualem ex cruditate chili defignant, de alia inferius.

Febres quoque Laffitudinariæ noftri funt gregis. Hæ pro diverfis adjunctis, feu circumftantiis, vel inæquales palam funt, neque multum callidæ, ad Quotidianas potius accedentes, quæ humidioribus, obefis, bene paftis, infolito motu delaffatis, ad hyemem, obveniunt: de hifque intelligendus Hipp. quum ait 4. Aph. 74. *Urina craffa, & alba facta, qualis in laffitudinariis febribus, quarto die quibufdam incipit fieri.* Vel funt de inæqualibus fortioribus, ftrenue aggredientibus, linguam exficcantibus, quæ mediocribus temperamentis continguunt, excedente labore ufis, fimulque indebito victu; hanc fpeciem lib. 3. de morb. popul. fufe defcribit Hipp. *In Thafo Pythionem, qui fupra Herculeum templum decumbebat, ex laboribus, & laffitudinibus, & neglecta victus ratione rigor magnus, & febris acuta corripuit; lingua arida: fiticulofus, biliofus, non dormivit. Urinæ fubnigræ: quod in medio ipfarum pendebat, fublime erat. Secunda die circa meridiem, frigiditas extremarum partium, & magis circa manus, & caput: loquela, & voce deftitutus. Brevifpirus ad multum tempus, rurfus incaluit. Sitis: nox quieta. Sudavit parum circa caput. Tertia dies quieta. Vefperi vero fub*

occasum parum friguit. Turbatio nocte dolorose, nihil dormivit. Ab alvo pauca compacta stercora prodierunt. Quarta mane quietus. Circa vesperam omia exacerbata sunt: frigiditas, loquela, & voce destitutus, in deterius recalefactus est, post tempus. Urinas minxit nigras, in medio quid pendens habentes. Nocte quiete dormivit. Quinta visus est allevatus esse. Verum juxta alvum gravitas cum dolore, siticulosus. Noctem laboriose tulit. Sexta mane quietus. Vesperi dolores majores: exacerbatus est. Vesperi clystere adhibito, ab alvo probe egessit. Nocte dormivit. Septima die anxius submoleste ferebat. Urinam minxit oleosam: noctu turbatio multa, delirabat, nihil dormiebat. Octava mane parum dormivit. Mox autem frigiditas. Vocis interceptio. Spiritus tenuis imminutus. Vesperi rursus excalefactus est, mente motus est. Jam autem ad diem parum allevatus est. Secessus meri pauci biliosi. Nona soporosus anxius, quum excitaretur, non valde siticulosus. Circa Solis occasu moleste ferebat: delirabat: noctem malam habuit. Decima mane voce destitutus: frigiditas multa: febris acuta. Sudor multus: mortuus est: dolores huic in diebus paribus. Vel ob fortuita alia, æquales callidiores fiunt, de quibus inferius.

Omnes tandem inæquales Febres Acutæ, quæ cum symptomatis communibus, ab chyli in sanguine cruditate partis, suo loco delineatis, turgent. Turgent autem & Acutæ æquales comparative dictæ, & Chronicæ continuæ ex chylo, sicuti ex generalibus quoque turgentis humoris phænomenis, infra proponendis apparebit; sed nunc primum de acutis inæqualibus sermo est, in quibus maxima turgentia; & majus etiam minus comprehendit. *Cum dictis* porro *symptomatis* dico, ut excipiantur extraneæ turgentiæ, seu periodi Intermittentium verarum, quæ nonnunquam mediocribus quibusdam acutis febribus ex chyli cruditate ortis superadduntur, quæque prorsus alterius sunt prosapiæ, atque ab alia origine pendent, extra Tema nostrum posita, germa-

manam Antiquorum Hemitritæum, seu complicationem duarum diversarum febrium constituentes. Distingui tamen possunt ab invicem hæ duæ licet unitæ febres, per sua utrarunque symptomata, peculiaria, ac propria. Symptomata intermittentium verarum (Tertianarum puta, unde Hemitritæus semitertiana dicitur) essentialia sunt: frigus, & horror fere semper accessionem inchoans; sitis intensa enormis, major certe, quam sit in febribus meris ex chylo, verminosis exceptis, quæ tamen per alia plura dignoscuntur, & præsertim per insultus irregulares accessionum, quum multo ordinatiores sint periodi Tertianarum; Calor item magis exurens, omnino manifestus, & universalis; capitis dolor magis lancinans, quam gravans, quamque vertiginem inducens; os multo plus habet amaritudinis, quam visciditatis, contra ac in febribus ex chylo; sudor ipse amaritudinem quandam præseferre solet; urina saturatior, obscurior, turbidior, quod signum cœteris videtur antecellere. Ne judicium vero aliquando fallat urina cruenta, quam semel, aut bis in acutis ex chylo conspexi; distinctus quidam dolor in regione renum dubium tollit. Cœterum in intermittentibus istis omnia acriora, quam in febribus ex chylo. Veruntamen chylosa cruditas, cum morbosa materia Tertianarum legitimarum confusa, in hac duarum diversarum febrium complicatione interludit, earundemque symptomata quadantenus obscurat, ac neque ipsa alternatio dijudicat, nisi insignis ista symptomatum dissimilitudo, inter accessionem & accessionem, unam febrem ab alia discriminet, cum nonnullæ quoque ex chylo inæquales altero die magis exacerbentur; ideo non mediocri opus est attentione; ad id itaque & tempestatem, & constitutionem morbosam anni, & alia accidentia conducit expendere; tandem instituta saltem curatione, omnia cito clarius elucescent. Quartana quidem, hisce nostris juncta, vel per ipsum insultus diem, discerni

valet ; nondum enim continua ex chyli cruditate mihi innotuit , quæ quarto quoque die ordinate crefcat.

Veras, legitimafque Tertianas, & Quartanas, continuis copulatas pene femper alterius effe fontis , & non effe Tertianas, Quartanafque continuas , five ad continuitatem tendentes , quemadmodum multi exiftimant , qui ad Tertianarum familiam adfcribunt quafcunque febres, in quibus acceffiones notant , fed febris continuitatem , vefpere etiam auctam , dependere a chylo , tum antecedentia, nempe caufæ, tum confequentia, videlicet remedia, præter figna jam tradita , oftendent ; nam quoad prima , vel mala ratio victus adfuerit , vel durities ventris, Quartanis præcipue confueta , quorum utrunque chylofa cruditate fanguinem gravat, & inficit ; quoad exitum autem remediorum, ablato crudo chylo, per evacuationes debitas , multo citius, ac tutius, quam per alia quæcunque febrifuga, continua delebitur, & Tertiana , aut Quartana , omnino intermittens , fimplexque facta , atque intra fua genuina fymptomata, quæ tunc maxime conftabunt, redacta libere, ac palam fuum characterem omnem , diemque fervabit , neque fere cedet evacuationibus vel fortibus , fed febrifugis . De his dicta modo fufficiant.

Quemadmodum ergo turgere flumina dicuntur , quando auctis aquis, & avulfis turbida glebis, modo hinc, modo illinc regurgitant , modoque in hanc , modo in illam partem debaccantur ; ita turgent & febres, quæ ex una in aliam fpeciem infiliunt : Intermittentes in Continuas, Continuæ in Intermittentes ; Inconftantes in Conftantiores, & vice verfa ; fic quæ præter continuum curfum , acceffiones infuper , feu exacerbationes manifeftas habent , & augmentum eadem , vel altera die , five abfque ullo ordine , five cum aliquo eodem recurrentia . Turgere Theophrafti, quod notat in plantis , febrilis chylofæ turgentiæ exemplum evidens fubminiftrat , fi attentum adhibeamus Animum : tur-

gent

gent plantæ non ubique æqualiter, ſed ad nodos ramorum, tum ubi ſuccus alimentaris, quacunque de cauſa, per ligni fiſtulas bene permeare nequit; quod aperte ſignificat acceſſiones, aut exacerbationes Febris, ut ita dicam, ſimilaris. Turgere dicit Theophraſtus etiam animalia, quæ æſtro venereo percita inſanire, atque huc illuc inordinate ferri cernimus, æquos puta, boves, canes, qui tunc temporis omnia juſſa, & conſueta munia invertunt furentibus ſimiles; ita quædam hujuſmodi febres ſua tempora præpoſtere decurrunt, ordinem nempe incipiendi, creſcendi, ſtandi, declinandi ſuſdeque vertunt, ideoque turgere jure, meritoque dicendæ. Ipſa eadem fatua inconſtantia, vagatio, & mutatio etiam in ſymptomatis ab eadem cauſa natis, ſcilicet in febribus ex chylo, eluceſcit. Sic turgere in febre dici poſſunt ſymptomata, ſi frigus, ſi calor inordinate abeat, & revertatur; ſi alterutrum, vel utrunque inexpectato augeatur, atque diminuatur; ſi demum hæc duo contraria ſymptomata in eodem corpore, uno eodemque tempore vigeant. Si color metamorphoſes patiatur, modoque palleſcat, modo rubeat facies, aut cœterum, ſine ratione; ſive aliquando migret ab una in alteram genam purpura, vel hæc præter morem, & inæqualiter malas tingat; ſic turgens ſymptoma cutis maculæ in acutis febribus in fervore acceſſionis, ſeu exacerbationis magis apparentes, ſic tumores vagi, ſic murmura ventris, ſic tormina, ſic alii dolores, ſic torpores, qui in febribus nunc ceſſant, nunc repetunt, aut mobiles nunc hanc corporis partem, nunc illam vexant; idem de ſudoribus dicendum, ſine occaſione, & ordine, incongruis temporibus venientes, parteſque peculiares occupantes; ſic ſopor, aut delirium per vices prehendens, aut hæc ſeſe invicem excipientia; pulſus ipſe inæqualis, & inordinatus in febribus, cœteris datis ſibi magis coherentibus, materiem turgere ſatis indicat, & inæqualem orgaſmum; hinc nullus du-

dubito, quin febres, quæ vulgo Synochæ putridæ dicuntur *cum pulſu inæquali*, *& inordinato* (quemadmodum habemus ex Sennerto, lib. 2. cap. 11. de febr. putr. contin. ubi Synochæ ſigna diagnoſ.) ad claſſem noſtrarum æqualium pertineant. Quæcunque itaque Febres cum iſtis ſymptomatis comparent, pro majore, ſcilicet magis evidenti, atque inæquali; vel minore, ideſt pacatiore eorum turgentia, ad Inæquales, vel Æquales noſtras ſunt referendæ.

Hæc omnia ex chylo eſſe experientia teſtatur, dum Febris omnis cujuſcunque generis ſit, ob alimenti exceſſum cum hiſce ſymptomatis exacerbatur, donec conſumptum ſit quod ſupererat. Vulneribus quoque, jam facta etiam ſanguinis miſſione, nimius victus dolorem addit, & tumorem ſuperinducit, quod eſt turgere. Morbis fere omnibus victus plenior incrementa, nempe ſupra notatos fere inconſtantes labores, orgaſmos, aut febres hujuſmodi turgentes injungit. Errata in victu in ſtatu ſano idem pariter confirmant; ſic a crapula, per quoddam temporis ſpatium, donec ea ſolvatur, calor ſentitur non æqualis, ſed in præcordiis, in volis manuum, & pedum inſignis, & diſtinctus; vertigo adeſt, capitis gravitas, inquietudo. Et ſi liberior fuerit intemperantia, ſequitur ebrietas, indeque ſtantium inſtabilitas, tremor, motus in quibuſdam convulſivi, idearum inconſtantia, colorum, & ipſius vocis mutationes, pulſus febrium acutarum pulſibus ſimiles, inæquales. Et ſi ex crapula poſtea, atque ebrietate vere febricitent, hiſce febribus febricitant cum ſymptomatis turgentem materiam præſeferentibus. Quæ omnia palam demonſtrant, hujuſmodi febres, talibus ſtipatas ſymptomatis, quacunque tandem occaſione naſcantur, chyli cruditatem tanquam parentem agnoſcere, & febres omnes continuas ex ſe ita turgentes eſſe hujus generis.

Æquales primas, quas acutas vocavimus *ex decidentia*, in

in quibus vertigine, & calore inæquali, ſive inconſtante caput inſigniter turget, quæque ſemper pomeridianis horis majores ſunt, pro Cachecticarum fortioribus principiis ab Clinicis, latiore modo, quam par ſit, haberi ſolent.

Cauſon, ſive Febris Ardens in legitimam, & ſpuriam antiquitus diviſa fuit. Duo in hac eminent ſymptomata: calor, & ſitis. Legitima exquiſita, vere ardens num viſceris alicujus *phlogoſim* ſequatur, num eadem ſit, ac Synoca bilioſa dicta, num verarum Tertianarum fomitem habeat, num tandem detur, an non, decernere ſuperſedeo; veritatem enim exopto, maxime in ſcribendo, quæ omni vacet dubio, quæque nonniſi ab repetita experientia, & tractatione hujus febris, quam perraram autumo, deduci poteſt. De hac alii alia ſentiunt tum Antiqui, tum Recentiores. Ex iis, quæ ab Hipp. habemus, de Febre Ardente, non pauca extant, tum circa cauſam, tum circa ſigna, quæ eam ex chyli cruditate indicare videntur; etenim lib. de Aer. Aq. & Loc. de Febribus Ardentibus in genere ait, *fieri non poſſe, ut febres ardentes vigeant, ubi alvi liquidæ exiſtunt*, & Occidentalium ardentes febres, aſſerit, naſci a ſtyptico ventre, quæ cauſa procactartica eſt noſtrarum Febrium frequentiſſima. Alia habeo circa cauſam hujus febris ab Hipp. petita, aliiſque textibus Hipp. ejuſdem explicata, quæ idipſum comprobare poſſent; ſed ſupradicta de cauſa, cenſeo omittenda. Alia mihi etiam ſunt obſervata, ac detecta circa hanc Febris ſpeciem, nondum tamen adeo certa, ut ea auſim proferre. Signa (quorum pleraque cum noſtris conveniunt) ſeu deſcriptionem potius proponam, hancque ex Hipp. deſumptam lib. de Vict. rat. in Morb. acut. ubi duas Ardentium ſpecies deſignat: In prima ſpecie, *Febris multa detinet, & corpus veluti ex oſſium laſſitudine delaſſatur, ac dolet.... Fit autem lingua aſpera, & ſicca, & valde nigra, & dum circa ventrem mordetur, dolet: & alvi egeſtiones valde*

de liquidæ , ac pallidæ fiunt , & sitis vehemens inest , itemque vigiliæ . Aliquando etiam mentis emotiones . Urinas , quæ bonæ spei , *albas , & crassas* notat , *cum subsidentiis levibus . Si recidit , & sanus futurus est æger , crassa expuet . Febris ardentis genus aliud . Alvus subit , siti plena est lingua aspera , sicca , salsuginosa . Urinæ interceptio , vigiliæ , extremitates frigefactæ .* Hæc videntur esse Spuriæ signa . In hac autem calor, sitis, & reliqua symptomata mitiora exhibentur ab omnibus , qui post Hipp. de hac scripserunt , quamvis proposuerit idem Hipp. lib. 1. de Morb. *qui a febre ardente corripiuntur , internis quidem partibus a febre exuruntur , externis autem frigidi sunt .* Quod de primo legitimæ Ardentis insultu intelligi potest , inquit enim : *qui corripiuntur* , non qui correpti sunt , aut detinentur.

Ardentes igitur saltem spuriæ sunt hujus generis, nam id & signa suadent, & nihil dubium impedit ; tum ex supradictis Synochæ , quæ putridæ ab Antiquis vocabantur ; quum tamen ad has febres generandas minime necessaria sit putredo , nisi ad malignas , in quibus chylus cum sanguine computrescit ; quinimmo ab malignis multis in principio abesse solet , nec nisi in effera Peste statim initio arripit corruptio , cœterum in acutis majoribus , nondum ad malignitatem evectis, sola chyli cruditas intensa viget, quemadmodum ex symptomatis communibus liquet.

Harum secundarum æqualium speciem ab Hippocrate habemus in lassitudinariis , quas tertio loco exponendas reliquimus , quarum binas hystorias tradit idem Artis Magister , alteram lib. 3. de Morb. popul. Sect. 2. ægrot. 8. *Adolescentem , qui decumbebat in Mendacium Foro febris corripuit ex lassitudinibus , & laboribus , ac cursibus insolitis . Prima die alvus turbata ex biliosis , tenuibus , multis : Urinæ tenues subnigræ : non dormivit : siticulosus . Secunda omnia exacerbata sunt . Secessus plures intempestiviores : non dormivit . Mens tur-*

turbata: parum ſudavit. Tertia moleſte habuit: ſiticuloſus, anxius: multa jactatio: deſperatio: mente motus eſt. Extremitates lividæ, ac frigidæ. Præcordii intenſio ſubmollis utrinque. Quarta non dormivit. Malum in pejus procedebat. Septima mortuus eſt. Ætate circa vigeſimum annum erat. Alteram lib. 1. de Morb. popul. in ægrot. 14. ægrot. 2. in Sileno. *Hunc ex laſſitudinibus, & potationibus, ac exercitiis intempeſtivis febris corripuit &c.* Hac in laſſitudinaria ſpecie ferme eadem, aliquibus demptis, inter quæ papulæ, poſt ſudorem, ad cutem appulſæ.

Quod ſi quis arguat: ſi obturgentiæ qualiacunque ſymptomata Ardentes ſpurias, Synocas, &c. inter febres ex chyli cruditate connumeras, Morbilloſas, & Varioloſas Febres cur relinquis, cum in his quoque evidenter turgeat materia? Has autem remediis, quæ febribus ex chylo præſcribis, exacerbari, ac male vertere, notum eſt, & per rubrarum maſſularum ſanguinis ad cutem expulſionem ſemper judicari. Ergo vel non omnes turgentes febres ab chyli cruditate ſunt, vel methodus medendi tua non omnibus turgentibus iſtis febribus apta.

Reſpondeo: Ab chyli cruditate quadam naſci Morbilloſas, & Varioloſas febres, eaſque fere de *omotonis* (varioloſas inquam primarias, ac *depuratorias*) haud impoſſibile eſſet probare, & ex ipſa præcautione per lene purgans, antequam lac ſugant, recens natis infantibus datum, ſi fides habenda obſervationi Prævotio, a fide digno communicatæ, & ex ſymptomatis cum hiſce analogìam habentibus; inſuperque in Variolis ex ipſo exitu a Natura inſtituto, ſcilicet ex abſceſſibus, eorundemque ſuppuratione, ſicuti nonnullæ acutæ ex chylo, ſibi relictæ judicantur (in puſtulas enim Variolarum non ſolus ſanguis, ſed chylus quoque concurrit, qui niſi concurrat, male ſuppurantur) atque ex aliis demum affectionibus, in quas uterque Morbus non raro de-

generat, nempe ex malignitate, in quam similiter tam variolosæ febres, quam nostræ acutæ transire solent. Veruntamen licet eadem causa utrisque communis probari possit, quum morbillosis, & variolosis in febribus distincto ordine res se habeat ab eo, qui in hisce febribus: indeque alius in illis sit morbi genius, ac peculiarem explicationem, sibique propriam medendi rationem exposcat, atque alia remedia, doctissimorum, expertissimorumque Practicorum usu diuturno comprobata, de iis hic differere meum non judico, solaque in distinctione conquiescam.

Febres itaque ex Chylo distingui queunt vel ab initio tum per constitutiones diversas, tum per tardiora, ac pacatiora symptomata, quam in Variolis, & Morbillis; non enim statim in hisce Febribus nostris delirant, sicuti in isti duobus morbis, ægrotantes, tum denique per absentiam doloris partium, quæ scrobiculo cordis subjacent, sensibilis, s manu premas, Variolis consueti; perennium involuntariarum lachrymarum, ac sternutationum frequentium Morbillis.

Malignæ Febres nuncupari merentur illæ, quæ miasma malignum generant, & inde contagiosæ sunt. Hæ ut plurimum, positis causis communibus, epidemice grassari consueverunt, cæteroquin etiam sporadice interdum occurrunt. Malignæ eandem prorsus cum aliis febribns a chyli cruditate productis habent essentiam, & causam efficientem primariam; tantummodo ad ulteriorem gradum evehuntur scilicet ad contagium, amplius alterata a putredine, per chylum crudum inducta, sanguinea massa.

Exploratum quidem mihi, plurimisque observationibus compertum, Malignas Febres a chyli cruditate dependere veruntamen, an aliis fidem facturus sim, & satisfacturus nescio. Quidquid futurum sit, quod meum esse arbitror pro viribus præstare conabor.

Hip-

Hippocrates, Silenum, Charionem, Nicodemum, Adolescentem Mælibeum ex potatione in pestilentes febres incidisse, in Epidemic. meminit. Gallenus de alimentorum facultatibus 6. & tota Antiquitas inter præcipuas, frequentioresque Febrium Malignarum causas victum incongruum statuit, atque ex illis Riverius, qui super alios Veteres de malignis febribus intellexisse videtur, Prax. med. lib. 27. de feb. pestil. sic disserit: *Duæ res non naturales, hactenus expositæ, nempe Aer, & Alimenta præcipuam vim obtinent, ad febrium malignarum generationem.* Et infra: *Corpora ad pestilentem febrem disposita sunt quæ pravos congessere succos, ex prava victus ratione ... Vel quæ plethora onerata plurimum se ingurgitant, aut intempestive, ac inordinate se replent &c.* Ne id autem climati potius, & vivendi rationibus exteris tribuendum videatur, aliquem e nostratibus adeamus, nempe Prosperum Alpinum Marosticensem, qui lib. 1. de præsag. vit. & mort. cap. 9. de morb. Natura potentior. ab ipsor. caus. cognoscendis, habet: *Hoc eodem anno Venetiis, & in aliis multis Italiæ locis complures ab epidemicis febribus semitertianis, ardentibus, pestilentibus, cum morbillis malignis* (Nondum eo tempore innotuerant peticulæ, ideoque morbillorum malignorum nomine designabantur) *moriuntur. Hocque Morbi genus non in pauperum corpora, ex proxima annona exsiccata, sed divitum, qui multis cibis se impleverunt, sævit.* Modo ulterius prosequamur, & signa quoque Malignarum Febrium ab supra laudato Lazaro Riverio petita, summatim collecta ponamus. Atque antea ex eodem *advertendum est, omnia signa a nobis proponenda in omnibus ægrotantibus non reperiri, sed partem tantum eorum, quæ tamen sufficiant, ad morbi speciem adamussim constituendam. Pro varia enim corporum dispositione, nunc hæc symptomata, nunc illa magis elucescere solent.*

Secundo symptomata non servant inter se eam proportio-

 nem,

nem, in his febribus, quæ in vulgaribus reperitur: ita, ut calor ad tactum mitis, pulsus non valde immutatus, exiguam febrem ostendant: cum iis tamen dolor capitis ingens, vigiliæ, & interdum deliria, aliaque symptomata, febrem ardentem consequi solita, plerunque conjungantur. His positis signorum seriem describemus.

Pulsus variis modis immutatur, pro temporum varietate, ac diversa morbi conditione: interdum enim in principio est fere connaturalis, & sanorum pulsui simillimus; in progressu tamen, & morbi augmento frequens, parvus, debilis, & inæqualis apparet; frequentia tamen perpetuo major, quam pro ratione caloris adaucti.

Hanc etiam febrem significare valent cardialgìa, seu oris ventriculi dolor, quem tanquam malignum damnaverat Hipp. Sitis aliquando magna, quæ superat caloris febrilis copiam; aliquando vero ejusdem carentia, cum intensa febre, & linguæ siccitate. Utrunque enim malignitatis indicium. Ingens ciborum innappetentia, qua multi omnia alimentorum genera, non secus, ac ingratissima medicamenta horrent: Nausea, & Vomitus, in principio præcipue Morbi eveniens, isque diversus &c. Horror frequens, & inordinatus sæpius in die contingens. Totius corporis lassitudo, gravitas, & veluti membrorum confractio in principio morbi apparent. Capitis dolores... Dolor vero in hac febre hoc sibi peculiariter vindicat, ut varius admodum sit, nec semper eundem locum affligens. Interdum enim synciput tantum, alias occiput, frontem aut supercilium lancinans dolor occupat. Interdum & alias partes, interdum affixus, alias locum mutans &c. Vigiliæ, & deliria. In nonnullis soporosi, & comatosi affectus contingunt. Urina aliquando urinæ sanorum similis; postea interdum fit crassa, & perturbata, interdum tenuis, & cruda... Ac denique omnes pravæ urinarum dispositiones in hoc morbo possunt contingere. Alvi fluxus biliosi, qui vel ex se oriuntur, vel a levi causa irritantur.

tur. Lumbricorum copia in principio potiſſimum hujus morbi excerni conſuevit. Sudores frequentes, parvi, minuti, inutiles, principio morbi producti. Calor ad tactum mitis, & blandus, ut vix febrire videantur. Denique maculæ purpureæ pulicum morſibus ſimiles, peticulæ, vel petechiæ a Recentioribus appellatæ. .... Purpureas autem peticulas nominavimus, quia ut plurimum colore purpureo infectæ ſunt. Non raro tamen violaceæ, virides, lividæ, aut nigræ apparent, & tunc longe deteriores ſunt. ... Licet autem ut plurimum hujuſmodi maculæ pulicum morſibus ſimiles ſint, majores tamen aliquando ſeſe produnt, ut referant vibices, ſeu livores ſtagellis inductos, tuncque deteriores ſunt... Aliquando vero ampliſſimæ ſunt, & partes integras, magnamque corporis partem, brachia nimirum, crura, vel dorſum occupant: tuncque partes rubore infectæ apparent, qui intra paucas horas evaneſcit, atque iterum revertitur, quaſi per paroxyſmos, dum febris ſuas patitur exacerbationes. Non raro tamen cutis in variis partibus elevatur, cum rubore quodam, & tumores quoſdam in cute efficit molles, & latos, qui intra paucas horas evaneſcunt.

Affectus vero febribus peſtilentibus ſupervenientes præcipui ſunt Exanthemata (ſunt enim varorum inſtar aliquando, alias vero minora granis milii ſimillima. Aliquando rubra ſunt... aliquando alba, vel nigra, alia exſiccantur, alia ſuppurantur, alia exulcerantur) Puſtulæ oris, & ulcera, carbunculi, bubones, & parotides. Surditas autem, *motus tremuli, contractiones, & ſubſultus membrorum &c.* legantur apud ipſum in Prognoſi harum earundem Febrium Malignarum.

Nonne igitur ſignis quoque Malignarum Febrium ab Auctoribus traditis noſtra tam pleraque ex communibus, quam peculiaria ſigna earum Febrium, quas aliis facilius in malignas evadere, dicimus (miſſis etiam, ſi libet, malignitatis ſymptomatis) omnino conſonant?

Quod ſi quis alia argumenta poſtulet, quibus Febres

Ma-

Malignæ petechiales &c. ab chyli cruditate naſci probentur, tria in promptu ſunt ab ipſa Praxi deſumpta.

I. Medicinam facientes videmus, & Scriptores Practici referunt, interdum dari maculas purpureas, peticulis ſimiles, in febribus minime periculoſis, continuis, aut intermittentibus, ſine ulla malignitate, quemadmodum, inter alios, notat expertiſſimus Ballonius *in Damiſela de Four Tertiana laborante*. In noſtris autem hiſce Febribus, in quibus vitioſus Chylus, ex hactenus traditis, apparet in ſanguine lentoris, ac tarditatis, indeque diſtentionis vaſorum, & ſtimuli cauſa, quando hæc eadem multa eſt, ac multiformis, unde febres mali moris, maculæ iſtæ cutis, pulicum morſibus ſimiles, amplioreſve malignitatem præſeferunt. Inde igitur legitime infertur, chylum iſtiuſmodi & febris, & malignitatis auctorem eſſe.

II. Tumores ſuperius a Riverio aliquatenus adumbrati, quos molles ab eo dici puto, quia foveam impreſſioni relinquunt, jam petechialium, malignarumque Febrium ſtatui evenientes, artuum, aut habitus partem occupantes, ſi opportune erumpant, neque retrocedant, ſed gradatim augeantur, morbum aliquando & deſperatum ſublevant, quod non ſemel obſervavi, & obſervare eſt in praxi. Hi autem mere chyloſi ſunt, quemadmodum oculis ipſis (iiſdem enim vel nullus adeſt rubor, vel dilutus, ut initio) tactuique patent. Neque aliquis ſubſumat, in iis latitare venenoſum deleterium, tanquam cauſam harum febrium immediatam; nam ſi his tumoribus malignum ineſſet, ipſi profecto deſinerent in malignos, & peſſimos locales affectus, non per ſe ſanarentur, etiam ſine ulla ſuppuratione (per quam deleterium iſtud, non ſecus, ac ſpina infixa, elijci dici poſſet) ut experientia demonſtrat.

III. Vexicantium denique in hiſce Febribus adhibitorum expurgatio evidenter chyloſa eſt, quæ cadit ſub ſenſum. Ne-

que

que dicendum, insensibile miasma per hæc erui, sicque præcipue illa prodesse; Etenim nisi istud chylosum abunde ex illorum plagis emanet, nullum fere videmus, ex iis sequi levamen. Concludendum ergo Malignas quoque Febres, pestilentialesque ab chyli cruditate exoriri.

Febribus acutis minoribus, majoribus, & maximis, quæ ad genus hoc pertinent, perpensis, atque recognitis, Intermittentes itidem, aliasque celebrioris notæ Chronicas ad examen revocabimus.

Multoties Periodicas quasdam cernimus, quæ Tertianæ intermittentis simplicis, duplicisve rythmum induunt, quæ neque febrifugis herbis, neque ipsi herculeo peruviano cortici bene cedunt. Posteaquam hujuscemodi febres tractavi, accurateque consideravi, atque has ab chyli cruditate nasci perspexi, nulla amplius substitit admiratio. Quando pauca est in sanguine chyli crudi quantitas, & vis, nondum efficiens causa ita perfecta est, & consumata, ut assidue circulationem sanguinis turbet, atque retardet, Intermittentesque Febres ex chylo fiunt; Idque vel ex eo evincitur, quod interdum aliqua ex his Febribus incipit primo intermittens, quæ postmodum, neglecta cura, & vivendi ratione, in acutam assurgit; tum etiam ex eo, quod cum per opportuna remedia plurimum causæ continentis in acutis istiusmodi Febribus detractum est, pariter intermittere solent ipsarum non paucæ.

Hæ Intermittentes Periodicæ Quotidianæ sunt etiam rariores, & Tertianæ. Quotidianæ sicuti continuæ, sic & intermittentes semper ex chyli cruditate, quod ex symptomatis essentialibus specificis supra notatis arguitur.

Quartanæ autem, seu febres quarto quoque die ordinate accedentes mere, atque immediate ex chylo vix ullæ sunt. Tertianæ itidem ex chylo ex ante actis intelliguntur carere *patognomonicis* genuinarum Tertianarum signis, a Scripto-

ptoribus propositis, præsertim siti intensiore, atque illo a summis Recentiorum Practicis Sydenham de feb. interm. & Morton de proteiform. feb. intermitt. gen. inter cœtera distincto, ac celebrato, rubedine videlicet lateritia urinæ aeri expositæ, in qua præter colorem, ac sedimentum lateritium, obscura quædam, & lixivialis confusio observatur. In his vero nostris urina fere semper est naturali similis, & nubes, aut sedimentum ad album potius inclinat; aliisque quibusdam symptomatis Febribus ex chylo communibus hæ stipantur, quibus quasi insignibus, & notis discerni queunt hujus nationis esse soboles. Has Antiqui spurias Tertianas nuncupabant.

Hic præterea subjungo, veris etiam, legitimisque Tertianis æstivo tempore, sive Autumni initio, quando digestiones maxime languent; si vel minus bona per se diæta usus fuerit æger, vel statim ante paroxysmum, sive in paroxysmo ipso Tertianæ cibum sumpserit, vel denique alvus substiterit, nonnunquam interjici periodos Intermittentis ex chylo, plerunque diebus vacuis a vera Tertiana invadentes. Hæ natura diversæ Febres, licet utræque paroxysmo periodico intermittentes, ex dispositione anni, atque ægrotantis, ex causis procatarcticis, & ex signis diversis, jam antea traditis, ipsaque paroxysmorum duratione breviore in veris Tertianis, & cum sudore copiosiore descripto desinente: longiore in Tertianis spuriis ex chylo, & cum parciore, aut nullo sudore, dignoscentur. Idem de Quartanis, servata symptomatum ratione, habendum. Ultimam distinctionem remedia dabunt, quemadmodum in superioribus.

Febres quoque Erraticæ, inter Periodicas recensendæ, ex nostro sunt cætu. Quasdam habent periodos, quæ modo quotidie accedunt, modo aliquem diem, modo alterum, modo & tertium febre immunem linquunt; neque hæ periodi certam servare solent inter se proportionem in quantita-

titate, five intenfione febris, ac duratione ejufdem, atque ob hæc Erraticæ dicuntur. Harum non quemadmodum Tertianarum paroxyfmi exaltantur, fed cum leviffimo frigore, tarde poft illum fefe exerente tepido calore, cum molli pulfu non frequente, cum longo, & lento madore fæpius finiuntur; Grave, & torpidum corpus, ac præcipue caput; Urina parum colorata, & crudior, fegnior alvus. Has in Quartanas aliquando converti docuit cum Hipp. Gallenus: Quod accidit detrita paulatim, & longo tempore, alterataque cacochymia, & decubitu in vifcera facto.

Febrium Chronicarum noftrarum continuarum duas fpecies dari diximus: alteram tumultuofam, ac fibi quodammodo diffimilem, quæ complectitur Hyppocondriacas, Hyftericafque Febres (vocabulis minus propriis utor, quia communiter acceptis) alteram vero pacatiorem, quietioremque, magifque ordinatam fpeciem, quæ Hæcticas antiquitus dictas Febres conftituit.

Harum utræque dividi poffunt in effentiales, & fymptomaticas. Et tam effentiales, quam fymptomaticæ eandem habent proximam, & efficientem caufam communem, nempe toties memoratam chyli cruditatem, & quædam communia generalia figna; fed unam ex remotioribus caufis procactarticis, tanquam peculiarem, poffident fymptomaticæ, quæ vel peperit, vel fovet, diuque fuftentat febrem, vitium nimirum organicum five in glandulis tubi inteftinalis, mefenterii &c. five in pulmone pofitum; aliaque fymptomata quædam adijci folent id demonftrantia, quippe quæ a lefis, & affectis partibus illis, videlicet a morbis peculiaribus earundem exoriuntur; ex quibus diftinctio haberi poteft fymptomaticarum ab effentialibus. Obftructiones autem vifcerum abdominalium Hyppocondriacas, five Hyftericas fymptomaticas faciunt; Hæcticas vero fymptomaticas interdum ifte dictarum regionum morbus, interdum, fæpiufque Pthyfis pulmonaris,

naris, præcipue originalis. Quapropter multo periculosiores, permultoque longiores, difficiliorisque curationis sunt symptomaticæ, quam essentiales. Sed & essentiales in symptomaticas evadere possunt, ac fere evadunt sibi relictæ. Idcirco de isto transitu essentialium in symptomaticas, ac de illis tandem omnibus peculiaribus symptomatis, & accidentibus, quæ circa illas, ad prænoscendum, ac providendum scitu necessaria sunt, in cap. de prognosi, qui locus opportunior, differemus.

Quibus positis, Febris Hyppocondriacæ, Hystericæve, & Febris Hæcticæ descriptionem aggrediamur, qua tum essentiales, tum symptomaticæ exprimuntur; idem enim, quoad febrem, utrobique aspectus. Hyppocondriacas porro febres, hystericasque quum dico, *humorales*, nempe ab massa communi vitiata oriundas intelligo, non meras commotiones vasorum, a spirituum agitatione immediate dependentes, quæ nostri haud sunt gregis, sed ad alias similes spiritus solius animalis affectiones attinent, quarum sicuti multi sunt lusus in aliis partibus alias morborum species simulantes, sic in systema vasorum sanguiferorum irruentes etiam febrem nonnunquam mentiuntur. Hujusmodi spuriæ febres ferme in debillimis homunculis, ablatis aliis veris febribus, per evacuationes, succedere solent, spiritibus, & carnibus magnopere extenuatis. Ab his autem reliqua absunt febrium symptomata, aut saltem *talia stabilia non sunt, neqne multum durare, ac permanere consueverunt*. Sed ad nostras revertamur.

Admodum igitur inæquales, ac titubantes sunt Febres Hyppocondriacæ, & Hystericæ tum quoad typum febris, tum quoad symptomata; nam primo & lentæ sunt, & lentis graviores; aliquot nempe dies cum suis quoque symptomatis remissæ sunt, aliquot dies cum symptomatis itidem exaltantur; a prandio tamen, & vespere fere semper crescentes, & nocturnam exacerbationem, cum nervinis incommodis,

dis, molestiorem plerunque habentes. Chronicæ dici debent, quia modo plus, modo minus, attamen diu, miseros ægrotantes affligunt, & torquent. Id vero Febribus hisce peculiare est, ac proprium, quod sæpe decrescunt admodum, ac decidunt inopinato, & subito, interdum & vespere, quo alias vigere solent, atque ita sopiuntur, ut pulsus, calorque febrilis, fædus pepigisse videantur; & vice versa non raro excandescunt repente, & absque manifesta ulla causa recrudescunt. Mutatio quidem, & vicissitudo cœteris quoque ex chylo febribus est familiaris, sed cum moderatione, non vero subita, ac repentina ad excessus; si excipias quasdam Verminosas acutas, quæ cum his de nervino multum participant; in cœteris accessiones, quæcunque eæ tandem sint, quoquo modo absolvuntur, in his autem vel ipso in accessionis majore incremento, & statu, ex improviso secantur, atque mitescunt; & contra ex improviso itidem febris calor, & cœtera symptomata exeruntur, atque in summum accessionis vigorem insiliunt. Mirifice varius est pulsus, modoque mollis, debilis, parvus, modo plenus, ac duriusculus, præter alias inæqualitates, & inconstantias, facillime sub ipsa tangentis manu, minima data ansa, mutatur. Id præterea observatur in his febribus, ipsis affectionibus hyppocondriacis, hystericisque valde consuetum, quod in decrescentis Lunæ phasibus, in ejusque conjunctione multo pejus habeant ægrotantes. Caput mulctatur insigni gravitate, vertigine tremula, immodicis doloribus, hique tam in capite, quam in aliis partibus, quibus forte insunt, clavi infixi, terebræ, spinæ adactæ, & similium tormentorum sensationem excitant. Plurimos tenet colli tensio diu perseverans, varie crescens, dum etiam non crescit febris. Sitis; pravi semper ructus, ac frequentes, stomachi incommoda minime solventes. Stomachi ejusdem languores &c. Urina tandem varia colore, & consistentia, modoque na-

turalis, modo pallidior conſpicitur, quandoque etiam rubicundior, cujuſmodi in quibuſdam æſtuoſiſſimis acceſſionibus redditur, præſertim ad morbi declinationem.

Nemo hactenus, quod ſciam, Febrem veram Hyppocondriacam, Hyſtericamque exacte deſcripſit, affectiones quidem Hyppocondriacas, Hyſtericaſque multi tractaverunt tum Antiqui, tum Recentiores, ex quibus præſtantiſſimus Sydenham, graphice eoſdem delineavit, atque eximia ethyologìa eſpreſſit, cauſamque ipſarum ab indigeſtione repetit. Alia tamen eſt indigeſtio, quæ illas, alia, quæ haſce febres parit; ſiquidem indigeſtio in illis vix apparet, & ingenioſa tantum, ac ſapienti conjectura deprehenditur, in his vero febribus manifeſtiſſima ſunt cruditatis inditia, cum multo major in his ſit, quam in illis. Spiritus animales adeo ſubtiles, agiles, ac ſublimis naturæ ſunt, ut ultimum materiei gradum attingant, ut vix materia dicantur, ſpirituum nomine potius inſigniti, quapropter facillimo negotio illorum ſecretio vitiatur, dato vel exiguo vitio ſanguinis, a quo ſeparantur, quemadmodum videmus in Chymicis, optimos ſpiritus ferme inter Pharmacopæorum arcana eſſe, tantam requirunt materiei ſelectionem, Artiſque ſolertiam! hique, etiamſi levi, irrepente defectu, imperfecti naſcuntur; ſic & animales ſpiritus, qui tanto ſunt nobiliores, præſtantioreſque, veluti omnia primi ſentiunt, ita & cruditatem, etiam latentem, & vix perceptibilem. Ad hoc autem, ut excitetur Febris, multo majore opus eſt cacochymìa, tanta ſcilicet, ut ipſa circuitionem ſanguinis notabiliter turbet.

Præterea ex chyli cruditate naſci Febres Hyppocondriacas, atque Hyſtericas, cauſæ procacarticæ frequentiores hujus ſpeciei Febrium demonſtrant, quæ ſunt ſtudia longa, intenſiora, præſertim a cibo, animi pathemata aſſidua: mæſtitia, ſollicitudines &c. exceſſivi diuturnique nervini dolores, qui diſtrahunt a concotione vires, atque conſumunt;

lan-

languidum temperamentum, male concoquens; ſuppreſſio evacuationis alicujus conſuetæ, unde in ſanguinea maſſa aut ſuperabundante, aut impura, & gravi, crudeſcit chylus; ac præ cœteris ſtypticitas ventris, fere omnibus hyppocondriacis, hyſtericiſque perquam familiaris, qua ſanguis jugiter contaminatur. Demum id aperte indicant ſymptomata multa Febribus ex chylo communia, & præſertim incrementum quotidianum a cibo, exaltatio morbi a quocunque vel levi exceſſu in alimento.

Hyppocondriacæ vero, Hyſtericæque ſymptomaticæ magis argumentum ſunt ad probandum, eſſentiales Hyppocondriacas &c. eſſe ex chylo, quam alia argumenta ad ſe ex chylo probandas requirant, dempta enim frequentia, & intenſione (quum rariores ſint hyppocondriacæ, hyſtericæque eſſentiales, & remiſſiores, quam ſymptomaticæ) eundem in talibus corporibus genium, typumque præſeferunt ſymptomaticæ, viſceribus naturalibus, chylo in primis viis digerendo dicatis, obſtructiones, ſimilemve alium organicum morbum patientibus, ac iiſdem partibus non organice læſis, eſſentiales.

Hæc ipſa (mutato tantummodo temperamento, & aliqua fortaſſe ſuperaddita cauſa a vinoſis liquoribus) ad Hæcticam pariter ex chyli cruditate probandam, & confirmandam, apta ſunt nata.

Quoniam dixeram, ſpeciem alteram Febrium chronicarum noſtrarum eandem prorſus eſſe, ac Hæcticam Febrem a veteribus expreſſam, idcirco ejus deſcriptio ab illorum aliquo deſumenda: *Cognoſcitur* itaque *Febris Hæctica ſimplex, quod continua ſit, ſine ulla acceſſione, ſemper ſibi ſimilis, non creſcens, vel decreſcens, niſi quod augetur duabus, aut tribus horis a cibo. Calor in hyppocondriis primo tactu mitis, poſt acer, mordax, aridus. Pulſus parvus, freqnens, & celer. Febrem non percipiunt ægri, pigri ſunt, & ad motum deſides, & cum difficul-*

ficultate moventur, eo quod virtus languet. Arteriæ callidiores ſunt partibus circumſtantibus &c. Urina naturali ſimilis tum colore, tum ſedimento, in progreſſu oleoſa ſupernatant, & ſedimenta farinacea ſunt &c.

Quod autem ad notos illius Gradus: *Prima die omnia ſigna Ephemeræ, die ſequente augetur ariditas, non calor. Tertia die non repetit, non aucta evidenter, non diminuta. Ac tandem una, aut duabus horis a cibo, calliditas nonnihil apparet. In ſecundo gradu, æger non percipit, ſe febrire, quamvis percipiat alterationes a cibo. Ariditas manifeſta eſt; pulſus minor, & celerior, cum duritie quadam. Tertii gradus ſigna ſunt manifeſtiſſima: oculi concavi, ſordes in illis ſiccæ, & ſquallor, oſſium prominentiæ conſpicuæ, vividus flos coloris extinctus, univerſa arida &c.*

Quicunque in ſigna præcipua Claſſis ſecundæ chronicarum noſtrarum conſtantiorum, magiſque ordinatarum, & ſigna Hæcticæ Veterum ab ipſis tradita inſpexerit, nullus dubito, quin Hæcticam Veterum eandem eſſe, ac chronicam noſtram eandem æquiorem, & pacatiorem, ex collatione facta cognoſcat; omnimodam enim habent, non ſolam ſimilitudinem, ſed & indolem, & eſſentiam, cum eodem prorſus modo oriantur, progrediantur, & vigeant utræque.

Hæctica Veterum eſſentialis ab omnibus fortaſſe non admittitur; ſed de inveterata eos intelligere, opinor; nulla enim ratio impedit, quominus in principio, & per multos dies talis dari poſſit, & detur, ſicuti dantur eſſentiales acutæ minores, & majores, non paucos dies durantes. Nihilque vetat, quominus a chylo eam repetamus, quinimmo huic opinioni omnis ratio ſuffragatur; nam quamvis hæcticam conſumptionem, ſeu atrophìam, quæ defectum nutritionis ſignificat, ab chylo in ſanguine naſci quibuſdam primo intuitu arduum videatur creditu, quum chylus nutritionis ſit reparator,

tor, nec alia adſit nutriendi via, quumque frequentior macies vel ab inœdia, vel ab chyli itinere in ſanguinem dirempto occurrat; Attamen chylus non modo quum deeſt, ſed etiam quum morboſus redditur, & nutritioni ineptus, tabem efficit. Hippocrates 5. Epidemicor. tabem, & atrophìam ſummam deſcribit, a nimio ſanguine inductam; atque oſtendit eventus, ſiquidem plurimo detracto ſanguine ſanatus fuit homo. Si autem id potuit fieri a ſanguine, a quo ſuccus nutritius proprie derivare ſolet, ac debet, qui reſpectu chyli humor eſt ulteriorem, perfectioremque ſtatum adeptus, jam vivus, quanquam morboſus etiam ſit; cur Tabes non poterit fieri a chylo, qui humor eſt adhuc imperfectus, neque adhuc vivus, ſi aut quantitate, aut qualitate, aut utroque vitio peccet? Deinde Tabidus ille Hippocratis non ideo reſtitutus, refectuſque eſt, quia ſolummodo depletus eſt ſanguis, ſed quia ſanguinis ad ſuas ſecretiones aptitudo, & chyli quotidie in ſanguinem ingredientis contritio, & commutatio in ſanguinem, a quo rurſus, uberiorque ſucci ſecretio (quorum nullum ob nimiam plenitudinem antea fieri poterat) ſic reſtitutæ ſunt.

Nunc vero per ipſa hujuſce Febris Hecticæ eſſentialia ſymptomata opiniones Antiquorum, Recentiorumque de ejuſdem Febris cauſa minus veras eſſe probemus, quod paucis præſtabimus.

Calor effectus eſt, & ſymptoma multarum Febrium, ſed hunc Antiqui tanquam harum omnium cauſam, ac præſertim Hæcticæ agnoſcebant, in hacque *intemperie, in habitum quaſi tranſacta* Hæcticæ eſſentiam poſitam voluerunt. Caloris autem ex veteri quoque ſententia, placitoque communi proprium eſt rarefacere; quamobrem, ſi calor eſſet cauſa efficiens, atque eſſentialis Hæcticæ Febris, pulſus in Hæctica Febre expanſus eſſet, cujuſmodi eſt in iis omnibus, qui vere callent, & non parvus; ſed contrarium ex ipſis

eo-

eorundem ſcriptis eruitur : *Pulſus parvus*, *frequens* , *celer*. Riv. ut ſup. *Pulſus etiam in hac febre eſt parvus*: Senner. Jacet igitur illorum aſſertio . Atenim corporis habitum occupat iſte calor, tanquam ſubjectum, magis quam ſanguinem, & humores . Subſumptionem ſolvit ipſorum eorundem , cœteroquin accurata , obſervatio : quomodo ergo *arteriæ circumſtantibus partibus ſunt callidiores*?

Præterea *urina* haud eſſet *naturali ſimilis* , ſi calor iſte Febrim gigneret ; nam videmus croceas , rubraſque urinas in febribus etiam Ephemeris a ſole nimio , aut exercitio , uno verbo, ab calore natis.

Hoc eodem ſecundo argumento utor adverſus Recentiorum acredinem , quam tanquam cauſam proximam ponunt Hæcticæ Febris ; quandoquidem in ſcorbuticis , bilioſis , & reliquis , in quibus acredo ſanguinis prædominatur, ſalibus ſaturæ, rubicundæ, bilioſæ, vinique generoſiſſimi colorem referunt urinæ; ſic Ethmullerus in ſcorbuticis *urinam flammeam* obſervat.

Inſuper poſt cibum hora una , vel ſecunda , augetur Febris ; ſi acredo in cauſa eſſet, particulæ acutæ, ſalinæ , aſperæ, quibus, per eos, ſcatet Hæcticorum ſanguis, addito chylo , qui lenioris eſt ſaporis , atque oleoſus , involverentur, ac obtunderentur , actioque illarum temperaretur , & potius tunc temporis remitteretur Febris, quod cum oppoſita praxi pugnat . Si autem etiam chylum in ipſis ſtatim acredinem concipere , dicant ; inſipidiſſima jura oleoſa , atque gelatinoſa , quæ in victu ægris hiſce præſcribunt , difficilius , ac multo minorem acredinem contraherent , quam alia alimenta , æque ſaltem ſales irretirent, febremque lenirent , ſicuti alios morbos a talibus oriundos ; & tamen ipſa ne hilum quidem morbum hunc levant, ſed potius gravant. Acredo igitur tanquam cauſa Hæcticæ Febris non eſt culpanda.

Non

Non inficiamur, ſanguinem non renovatum, in progreſſu Febrium, malas alias qualitates acquirere poſſe, aſt id effectum erit, & conſequens, minime vero cauſa.

Eſſentialis autem Hæctica, ſi diu protrahatur, non minus, quam hyppocondriaca, aut hyſterica, in ſymptomaticam fere tranſit; ideo apud Antiquos gradus Hæcticæ ſecundus curatu valde difficilis, & tertius difficillimus, ac ferme læthalis habebatur. Dantur quoque & ſymptomaticæ ab ipſo ortu, indeque originales. Hæcticaſque pariter ſymptomaticas ab chyli cruditate deducimus; etenim vel fiunt ex labe viſcerum abdominalium, chylo præparando ob eandem labem deficientium, vel ex labe pulmonis, chylum in ſanguine ideo non perficientis.

Hæcticam quidem facilius ſymptomaticam, quam eſſentialem quidam admittere videntur, quia ſymptomatica frequentius occurrit. Hanc ſane ponunt a viſceribus labefactatis naſci, ſed nondum tanquam efficientem cauſam chylum accuſaſſe viſi ſunt, quippe qui ob viſcerum organicum vitium ſive in primis regionibus, ſive in ſanguiferis vaſis male digeſtus, circulationi ſanguinis negotium faceſſens febrem faciat, detineat, & protrahat. Ex iis, quæ circa hoc ethyologice loquuntur colligi poteſt, vel ab obſtructionibus hujuſmodi Hæcticam generari, impedito reipſa, & turbato ſanguinis circuitu, & liquorum cœterorum, dirempto ſive ab oſtructione eadem, ſive a preſſione inde illata recto illorum itinere; indeque diſtenſione parta eam febrem exerceri; vel putredinem a pulmonum præcipue apoſtematibus cordi communicari *per vapores* (quod præteritis temporibus creditum) indeque Hæcticam ſymptomaticam ſubali. Vapores vero tanquam anile commentum jam excluſi fuerunt. Putredo quidem, ſive pus ſanguini per venas pulmonares inferri poteſt; ſed de hoc poſtea.

Quod igitur ad primum, nonne pueros ex Auctorum

obſervationibus nonnunquam cernimus, qui voraciter, multumque comedunt, & in dies magis emaciantur, quia ipſorum meſenterium glandulis, etiam ſenſibilibus, refertum eſt, abſque ulla tamen febre, cujuſmodi extat apud celeberrimum Morton, Phtyſiolog. lib. 1. cap 11. de Tabe a ſudorib. immenſ. ort. hyſtoria? *Filius cujuſdam civis, in platea vulgo dicta Vvood ſtreet, circa annos* IV. *natus, abſque ulla febre vel tuſſi, verum abdomine inæqualiter duro, & tumido, pauciſſima urina, ſani tamen coloris, dejectionibus frequentibus, copioſis, & plane chyloſis, ad ultimum maraſmi gradum ſenſim redigi videbatur. Appetitus nihilominus per totum invaletudinis tempus integer, vel potius vorax durabat, unde facillime conjiciebam, trajectionem chyli per venas lacteas a frequentibus, & prægrandibus tumoribus, glandulis ſparſim in abdomine ſitis multum impediri, Tabemque ex inanitione hoc modo factam ortum ſuum duxiſſe.* Quomodo ergo obſtructiones tantæ in abdomine ſine febre in puello adeo male habito? at inſurgent, quomodo per te? Reſpondeo, fluxum alvi cæliacum & chyloſum, cauſam febris, nempe chylum crudum alio divertendo, ac eliminando etiam febrem avertiſſe.

Quod ad ſecundum, nemo a pure in vaſa abſorpto, Naturamque ſtimulante, Hæcticam ſymptomaticam, tam quam a cauſa proxima, atque efficiente revocet; nam præterquamquod Febres Hæcticæ eſſentiales, ſine ulla puris ſuſpicione dantur, quæ iſtud tamen metrum ſervant, & contra aliæ febres ex meris abſceſſibus non eundem typum retinere videntur, dummodo aut os, aut fauces, aut muſculos, parteſque reſpirationi, uno verbo, digeſtionibus inſervientes abſceſſus iidem non occupent, aut hi alvi ſecretionem, excretionemque quocunque modo impediant; atque ex alia parte dummodo opportune, diæta ſaltem neceſſaria tractetur æger; talis ſententia reprobari valet per obſervationes ipſius Richardi Morton, qui alios omnes Tabidorum

no-

notione, & descriptione antecelluit eximius, ideoque merito Auctor præ manibus omnium: *Incipiente Tabe*, inquit, lib. 2. cap. 4. de sign. pathognomon Phtysis pulmon. confirm. *dum nulla febris præter hæcticam adfuerit, præternaturalis calor sicuti continuus est, & mitis, ita etiam pulsus, pro gradu febris, aliquatenus celerior est, quam par sit; fere tamen semper eundem tenorem servat, nisi quod a cibo, ut calor febrilis, ita etiam pulsus celeritas facilius sentiatur.... Ubi vero primum febris peripneumonica* (sic vocat febrem suppuratoriam, febris & doloris momentum in puris confectione innuens; quid quid sit, istam febrem pro vera suppuratoria ab ipso haberi, ex aliis in eodem capite est omnino manifestum) *invaserit &c.* Quod si ante suppurationem Hæctica adest Febris, quomodo a pure nascitur? Neque idem laudatus Auctor ejusdem Hæcticæ Febris causam ab pure desumit, sed ab diathesi sanguinis, quam de *fermento* illo suo *acido*, *aut acri*, quod jam refutavimus, criminatur; agnoscit quidem a pure ex apostemate suppurato, per vasa illic hiantia, sanguini communicato, *febrem intermittentem putridam, Quotidianæ, sive Tertianæ typum servantem*; quæ unicuique Morton Phtysiologìam perlegenti licet intueri.

Ergo neque erosio ulceris, siquis eam pro Febris Hæcticæ causa statuat, admitti potest; quando ulcus in pulmone fieri non consuescat, nisi post suppurationem.

Etiam Hæctica igitur, tam Essentialis, quam symptomatica, ab chyli cruditate procedit.

CAPUT SEXTUM.

Redditur ratio mæchanica Phænomenorum per nostra principia.

QUoniam in præmisso cap. sub Chyli cruditate Febres & omnis ordinis, & omnium propemodum specierum, & multas demum earundem indole varias, ac inter se diversas, tanquam sub causa ipsis communi contineri, docuimus; præterea quoniam symptomata quædam harum Febrium inter se similia sunt, & proinde communia, quædam autem conditione disparia, dissimilia, ac speciei cujusque magi propria, idcirco doctrinæ ordo, & reddendæ rationis ne cessitas præsens caput substruxit.

Ex hucusque traditis generalem Febrium harum gene sim constare, puto, eas nempe fieri ab chylo crudo, per s quodammodo existente, superfluo in massa sanguinea, qu hujus quantitatem, & pondus augendo, crasimque vitiando etiam circulationem vitiat, atque retardat, sicque distensio ne irritantur vasa, unde Febris.

Talis porro vitiosus chylus vel paucus, vel multus e se potest; hujus vel illius naturæ, & qualitatis; mixtion minus, vel magis aptus; Hinc idem chylus vel ubique, & quasi æqualiter cum sanguine miscetur; vel non ubique, & non æqualiter, pro his, vel aliis dispositionibus, prout i fra significabitur. Utrumlibet eveniat, chylus tamen cr dus remanet, idoneusque his febribus producendis. Aliu enim est chylum misceri cum sanguine, aliud chylum co verti in sanguinem, quæ est ejus perfecta, & consuma concoctio, quemadmodum non dicuntur perfecte concoc alimenta, nisi alibiles eorum partes convertantur in ch lum.

Misce-

Miſcetur chylus ubique, & æqualiter cum ſanguine, quando is fluit circum omnes partes ejuſdem ſanguinis globulares rubras, fibroſas, & ſeroſas. Ad hoc vero, ut chylus convertatur in ſanguinem, & ſanguis (prout ad ſalutem, vitamque neceſſe eſt) per chylum mutetur, ulteriori, ac ſubtiliori opus eſt arte. Nam haud quaquam credendum, immediate, ac repente globulum aliquem rubrum ſanguinis integrum perire, & deſtrui, alterumque interim ex advecto circumeunte chylo efformari; deſtructio iſtiuſmodi, ac regeneratio neque intelligi quidem, neque admitti poſſunt, cum Natura per ſuos gradus ſuaviſſime procedat, neque per ſaltus alterationes ſuas factitet, atque functiones deſtructionis, & generationis, quæ oppoſitæ ſunt; neque ullum diſtinctum corpus ex diſſimili illico, atque ex eo ſolo procreet; ſic ex terra plantas non progignit, niſi tenuiſſimæ ex ejuſdem ſucco atomi in ſeminum, apte præparatorum, porulos ingrediantur, ac ſemina amplificando, tandem vegetabile aliquod conficiant. Obſervat Levvenoeckius, globulum rubrum ſanguinis conſtare ex minoribus, atque adeo minimis globulis, quinis ut plurimum, aut ſenis; ternis, biniſve, aut etiam ſingulis globulum ſeri ſanguinei. Itaque per validam attritionem vaſorum, & ſuperinductam alternam compreſſionem ab aere in pulmone, & circuitionem ſanguinis, motumque, & colliſionem etiam mutuam partium inteſtinam, ſalinis ſanguinis ejuſdem juvantibus particulis, globulus, ſeu granulus minimus e compage aliorum, globulum rubrum conficientium, ſcilicet a ſuo toto ſejungitur, & in lynpham abit, a qua perpluribus aliorum atomorum ex aliis cœteri ſanguinis globulis, & fibris, ſimilibus ſegregationibus aucta, alii porro liquores utiles, ut ſpiritus animales, ſuccus nutritius alimentaris; tum inutiles, ut Sanctoriana tranſpiratio (qui humores ſunt tertiæ coctionis, quemadmodum Veteres ſapienter ajebant) ulterius excernuntur. In locum autem amiſ-

amissæ atomi e globulo rubro sanguinis atomus, seu granulus ex chylo, post plures circulationes, dispositus subit, & cum aliis compactus granulis, seu atomis (quod in universis profecto sanguiferis vasis, sed in pulmone præsertim efficitur) molem globuli rubri, & rubedinem restaurat, atque integrat; dum interea alter jam maturus minimus granulus, seu atomus ex globulo rubro sanguineo itidem secedit, eademque sequuntur, quæ modo tradidimus. Idem in sero ordo; immo hæc putari potest intercedere inter rubicundum sanguinem, & serum vicissitudo, ut e globulo sanguinis rubro, qui, ut dictum est, quinis, aut senis componitur granulis, fiat serum, si per attritionem vasorum, circulationem sanguinis &c. ipse ita dividatur, ut hinc inde terni, aut bini granuli simul discedant; & vice versa albicans seri corpusculum potest evadere in globulum rubrum sanguineum, si binis, ternisve minimis globulis, ex quibus conflatur, alii tot granuli ex chylo serie debita infigantur, ut compleant numerum efficientem rubedinem. Atque hæc est altera mutationis sanguineorum globulorum ratio. Mutantur pariter, supradicto modo dispositæ, ac præparatæ sanguinis fibræ, per chyli particulas fibrosas, in lacte, quod nihil aliud est, quam chylus perfectior, conspicuas, scilicet per chyli fibrillas minimas, ab aliarum fasciculo, sive a fibra majore, circulatione sejunctas: sic renovatur, & pars fibrosa sanguinis, nam & carnis fibræ, docente Sanctorio, mutantur: *caro animata*, inquit, *cur vivit*, *& non putrescit? quia quotidie renovatur*; hæc vero per succos nutrientes, qui a sanguine secernuntur, renovatur; mutatur tamen per atomos, nam mutatur insensibiliter; siquidem in corpore sano, & juvene, *quæ impinguntur fiunt secundum omnes partes fluxilia*, *& perspirabilia*. Itaque particula quælibet humorum alentium, etiam ab sanguine secretorum, & carnem jam componentium, patitur mutationem loci, quem

suc-

ſuccedenti cedere debet, & tempore ſuum circulum conficit, & e corpore migrat; quam mutationem promovet jugis fibrarum periſtalticus motus, juvat motus animalis membrorum, & progreſſivus. Nemo igitur dubitet, quin jugiter mutetur maſſa ſanguinea, cum & caro ipſa pariter renovetur, cumque defectum renovationis ſanguinis, carniſque & morbi, & ſenectus, & mors ſenilis conſequantur; neque dubitet, quin per atomos mutetur ſanguis, dum per atomos renovatur caro. Ex his omnibus liquet, quantum diſtet ſimplex mixtio chyli cum ſanguine ab intima inſertione, & traſmutatione chyli ejuſdem in ſanguinem.

Ad hujuſmodi autem ſanguinis renovationem, in qua prima quædam ablatio, & additio perficitur, quæ altera idem eſt, ac converſio chyli in ſanguinem, requiritur proportio in quantitate, & qualitate ſanguinis: in quantitate, & qualitate chyli; atque inter fluidum & ſolidum. Hic vero chylus, ob vitia vel ſua, vel ſanguinis, vel vaſorum, aut viſcerum, non convertitur, ut opportet, in ſanguinem (& in hoc primaria harum febrium ſemina) unde neceſſe eſt, ut is inutilis ſuperſit, indeque crudeſcat.

Hæc vero cruditas, pro diverſitate cauſarum, eam producentium, aliquando magis craſſa, & viſcida eſt; aliquando magis craſſa, quam viſcida; aliquando magis viſcida, quam craſſa; aliquando neque craſſa, neque multum viſcida, ſuperflua tamen ſemper, atque morboſa. Quando craſſities chyli crudi eminet ſupra quantitatem, ſeu molem globulorum, fibrarumque ſanguinis, & viſciditas chyli ejuſdem ſupra vim circulationis, ac motus inteſtini ſanguinis, cruditas cum ſanguine male admodum miſcetur, cum enim craſſities ſit quantitas major partium, quam par eſt; viſciditas autem ſit mollium partium facilis inter ſe cohærentia, ſeu promptitudo earundem ad coeundum, præſertim ad invicem, utraque de cauſa neceſſe eſt, ut chylus cum ſan-

gui-

guine male miſceatur ; ſiquidem in motu tam projectili, quam vorticoſo, craſſamenta quæcunque, aliis minoribus, ac levioribus etiam mixta, ſeparantur, atque conveniunt ; ſed uterque eſt motus ſanguinis : alter projectilis, nempe progreſſivus, alter vorticoſus, nempe inteſtinus ; ex parte igitur tum circulationis, tum inteſtini motus maſſæ communis, corpuſcula cruditatis cum reliquo male miſceantur, oportet. Ex parte vero continentium vaſorum, moles partium cruditatis excedens in cauſa eſt, cur non miſceantur ejuſdem crudi chyli partes cum partibus ſanguinis ; nam ubi ad anguſtas vaſorum diametros perveniunt, ſanguinis tenujores partes facilius, citiuſque præterlabuntur, hinc neceſſe eſt, ut illic uniantur ea, quæ ſunt molis majoris. Nihil de viſciditate dico, cum ratio malæ mixtionis vel ex definitione viſciditatis innoteſcat ; hujuſque major vis, quo minor motus in ſanguinea maſſa. Contra vero quum crudi chyli partes non eminent ſupra quantitatem globulorum, ac fibrarum ſanguinis, minus inæqualiter, meliuſque cum ſanguine miſcentur. Et viſciditas levior temperari valet a motu, quo partes ſimiles aliis diſſimilibus illidentibus a mutuo contactu dirimuntur, atque prohibentur, & ab aliis etiam accidentibus. Diverſa autem mixtio diverſa facit Febrium harum typum, & ſymptomata.

Primum itaque chylum cum ſanguine male mixtum conſiderantes, dicimus in genere, ob malam mixturam chyli cum ſanguine Febres inæquales fieri, quæque acceſſiones diſtinctas habent, atque in iiſdem inde ſequi frigoris, caloriſque viciſſitudines, & inæqualitatem, ac inconſtantiam vis febrilis, atque ſymptomatum. Etenim quando ſanguis tali rudiore chylo gravis ſolido, vaſis videlicet, nimium reſiſtere incipit, incipiunt laſſitudines paſſim vexantes, ac triſtis ſenſatio totius, morbos prænunciantia. Quando porro irritatio ſanguiferorum vaſorum ab ſanguine cum chylo crudo lente-

ſcen-

ſcente, & diſtendente incœpit, quæ per tenſivos, ſæpe inconſtantes, dolores partium manifeſtatur, quæque in horas augetur, vaſa ſanguiduca, nempe cor, & arteriæ fortius, violenterque ſeſe contrahere nituntur, unde febris emergit.

Inchoata autem iſta irritatione, & contractione vaſorum, in multis (in illis ſcilicet, in quibus craſſior, rudiorque magis per ſe exiſtens cruditas, minus cum ſanguine confuſa, eundem tamen ſuperabundante copia non obruit) pars fluidior ſanguinis ab viſcidis male mixtis craſſamenris, quæ tardius vaſa excurrunt, quodammodo diſcerni ſolet. Ea vero pars ſanguinis, in qua plus eſt crudi, viſcidi, & craſſi chyli, ea eſt denſior, magiſque cogitur, & circuitionem univerſam remorando, ſtatim cor, & vaſa vehementius irritat, eaque ſpiritibus (qui pauciores ſunt ob retardatam ſanguinis circuitionem) pœne totis ad cor, & vaſa eadem connitentibus (unde extra frigus, etiam ob ſpirituum influentium ad exteriora, & ad habitum, paupertatem) quaſi tonice convelluntur, contrahunturque ſecundum omnes dimenſiones, nimirum conſtringuntur, ſimulque abbreviantur, quod patet ex minuto, raroque pulſu in frigore febrili, & ab difficultate quadam rectæ diſtenſionis corporis, ſenſibili in eodem frigore. Sanguinis autem lentioris, ægriuſque decurrentis quantitas minor, pari tempore, e cava dextrum, e pulmonari vena ſiniſtrum ventriculum cordis, utrumque magis ſtrictum, breviore nempe exiſtente diaſtole, ingreditur, quam dum cor non eſt a tanta tarditate circulationis ſanguinis irritatum, idem ſentiendum de tranſitu per fines arteriarum ſimiliter anguſtiores, & contractiores. Hinc magis retardata ſanguinis lenti per cor, & pulmones trajectione, & per venas, arteriaſque cœteras, frigus creſcit, eoque magis, quod etiam expanſio, inteſtinuſque motus ſanguinis a ſpaſmodica ſupradicta vaſorum conſtrictione reprimitur. Quando vero iſta ſanguinis portione (circulatione

tandem, ac plenitudine urgente, atque abripiente) e finibus arteriarum paulatim transmissa, ideoque aliquanto minutius conquassata, eo quod a corde, vasisque strictioribus ipsa magis in systole complectitur, & quoquo modo confringitur, pervenit ad cor, atque subinde ad extremitates, finesque arteriarum altera portio sanguinis, in qua minus adest chyli vitiosi descripti, remissa irritatione, remittitur tensiva illa constrictio, indeque sanguinis universalis circuitio liberior vasa paulatim magis expandit, eaque melius reagunt, ob spirituum tunc temporis plurium (quia a meliori sanguine separantur) auxilium, sanguinemque minus, quam antea resistentem propellunt, & aliquatenus solvunt; hinc magis urgetur antecedens, & motus intestinus, dempta jam constrictione supradicta, minus impeditur. Ab uberioribus porro spiritibus, & circulatione sanguinis magis expedita, atque ejusdem sanguinis respectiva solutione tollitur frigus, atque aliquis micat calor; donec prior vitiosior portio massæ sanguineæ ex venis universalibus, ubi nulla ferme contritio, rursus unita & coacta in cor, & conos arteriosos revertatur, atque ante descriptam referat scenam. Sic alternatio caloris, & frigoris initio harum Febrium.

Nonnunquam primis diebus frigus, & calor eodem tempore sentiuntur, quia cum inæqualitas sit in crasi sanguinis, dum crassior pars, atque mucosior segniter, tardeque vasa quædam pervadit, ansam præbet alteri minus viscidæ, & crassæ ad velocius per alia vasa currendum, ex lege hydrostatica nota; ubi enim mobilior est sanguis, citius fluit, eoque reliqua massa intendit momentum. Itaque quibus partibus inserviunt vasa, per quæ sanguis lente movetur, in iis percipitur frigus; ubi celeriter decurrit sentitur calor, uno eodemque tempore.

Quædam Febres habentes pomeridianas evidentes accessiones absque notabili, aut omnino absque frigore incipiunt &

& crescunt, ad declinationem vero accessiones ipsarum cum frigore ingruere solent; istiusmodi sunt aliquæ æstivæ, in quibus plenitudo massæ sanguineæ, rarefactio, confusio, & distractio, seu remissio vasorum tunc debiliorum, quam alio tempore, divisionem recensitam omittunt; dempta autem tum ab evacuationibus, tum a diæta plenitudine, atque a refrigerantibus sanguineæ massæ rarefactione, & confusione sublata, vasorumque emandata laxitate, tunc vividius ad accessionum irritationem insurgit Natura, & corrugatis vasorum finibus retinet, sensimque magis cogit, meliori in venas expresso sanguine, materiam morbosam, quæ cum universam circuitionem maxime pigram, difficilemque reddat, frigus insigne affert, quod deerat initio, atque augmento.

Accessiones in febribus vel cum frigore, vel sine frigore esse possunt. Ad frigus febrile accessionum initio procreandum necesse est, ut circuitio sanguinis per cor, & universa vasa, supranotata ratione, plurimum tarda sit; Accessiones vero in genere nascuntur, quotiescunque in febre tanto difficilior redditur effluxus sanguinis e finibus arteriarum, ut cordi, arteriisque magis, quam antea laborandum sit in propulsione. Quando enim in sanguine coeunt rudes, & viscidæ chyli partes, hæ iter sanguinis per angusta quæque retardant, unde is supra angustias, nempe in conis arteriarum plenitudine majore coacervatus auget vasorum eorundem diametrum, distensionem, ac stimulum; ista autem cordis, arteriarumque passio spiritus plures ad hæc vasa determinat, sicque crescit eorum motus, qui sanguinis impetum in antecedentem, & in latera vasorum, indeque irritamentum intendit, quique attenuat paulatim crassamenta, & massam communem, unde gradatim cessat frigus in febribus ab crassiore, & magis per se existente materia productis; in febribus vero, in quibus minus crassa eadem est, minusque cohærens, crescit calor, rarefit sanguis, eugetur in omnibus

 tri-

tristis sensatio, capitis dolor, inquietudo, anhelitus &c. exprimitur e massa communi infecta liquor unctuosus, sudor videlicet viscidus, ubi rarior est cutis, uberior quum impuritas major in sanguine, indeque fortior causa febris efficiens. Hæc febrilem accessionem constituunt, quæ eatenus perseverat, donec per modo dictos Naturæ labores, sanguinisque, ac morbosæ materiei colluctationes, conquassationesque minutius dividatur crassities, & dissolvatur viscíditas, objices nimirum discindantur, disjunctæque cruditatis partes cum tota massa, non amplius mole nimis excedentes, misceantur; divisum autem hætherogeneum, & per omnia vasa distributum melius regitur. Hinc aliquanto æquiore facta, atque expeditiore sanguinis circulatione, graviora silent febris symptomata. Sic quiescit accessio.

Interea tamen remanent lassitudo totius, vertigo quædam temulenta, capitis dolor tensivus, inæqualis, vagus, dolores ossium, & partium particularium instabiles. Hæc symptomata relinquit accessio febrilis. Nam cruditas aliquatenus comminuta ab accessione, & cum sanguine mixta cor, & sanguifera vasa universa, sicut antea, non irritat, in sanguine nihilominus remanet, ac propterea non restituitur æquilibrium inter vires vasorum, & fluidum adhuc nimium, & universe peccans, ideo cor, & generalia vasa sanguifera, prægresso etiam accessionis labore defatigata solo quasi pondere gravat, & premit; hinc languidior, segniorque generalium vasorum motus, unde non raro pauca febris, parvique facienda, aut nulla per pulsus febrili minorem frequentiam minus peritis apparet, cum gravi tamen lassitudine corporis, ac veluti confractione, & cum pulsu inæquali. Lassitudinis, & confractionis causa ex modo traditis; causam etiam inæqualitatis in pulsu alibi; hic tantum rationem adducemus, cur frequenter in remissione magis, quam in accessione febrili elucescat inæqualitas pulsus. In accessione ple-

plerunque fortior, & æquior fit ſpirituum expreſſio ob auctam diametron arteriolarum cerebri, auctamque exinde ad cerebri glandulas alternam compreſſionem; inſuper in acceſſione major, & minus inconſtans ſpirituum ad cor, & arterias determinatio, quum ſtimulus major, magiſque perſeverans; in acceſſione denique rarefactio major in ſanguinea maſſa vaſa amplificat, & tollit anguſtias in finibus arteriarum, a crudis craſſamentis factas, atque hæc vividius motis corde, atque arteriis, paulatim migrant in venas, nunc temporis etiam patentiores, neque ad fibrarum muſculoſarum oſcula tractim retardantur, turbando influxum ſanguinis arterioſi, indeque motum æqualem: ex his omnibus inæqualitas pulſus crebrius minor in acceſſione, quam in remiſſione: ſic paralytici, vino ſumpto fulti, & calefacti non adeo titubant, ſed rectior eorum animalis motus, & minus iniquus. Vertigo, ſeu potius temulentia ab ipſa impura plenitudine provenit, nanque ab arteriarum debito pleniorum diaſtole, præter inſtitutum, in cerebro concutiuntur ſtamina, ſeu ductus nervei, ob amplitudinem arteriarum earundem; etenim in turgentia majore, ſcilicet in acceſſione febrili, in qua plenitudini ſuperadditur rarefactio, intenſior & vertigo eſt, & capitis dolor. Hinc aſſymetra iſta undulatione moti ſpiritus ægri, paucioreſque, quam in ſtatu naturali, inque calloſum corpus ſic perturbati petentes vorticoſam ſenſationem exhibent; ſic pulvis in horologio digito alterne percuſſo, non in unum perpendiculariter cadit locum, ſed vitioſum circulum deſcribit in fundo: Vertigo vero proprius dicta, quæ in quibuſdam ex his Febribus magis eminet, oritur a pulſatione ramorum carotidum ſuper nervos opticos, unde nervi, oculique ab eis efformati commoventur, fortaſſe etiam concurrente inſolito, inæqualique pulſu arteriolarum retinæ, quo ea vitioſe agitur, & obiectorum radios inſtabiliter accipit, hinc motitari videntur externa. Eſt

inæ-

inæqualis tum temulentia, tum vertigo, quia modo magis, modo minus ſenſibilis eſt vitioſa arteriarum pulſatio, prout inæqualiter, incerteque iens materia eaſdem magis, minuſve turgidas reddit. Capitis dolor, in remiſſione levior, fere tamen continuus ex eo naſcitur, quod cerebrum multum continet ſanguinis, tertiam videlicet partem, teſte Malpyghio de cerebr. tractat. 1. p. 6. & inſuper idem pars eſt omnium molliſſima, ac tenerrima, ideoque vaſa ſanguifera hic a plenitudine magis diſtenduntur, quam alibi; eſt autem & is inæqualis, & vagus, quia cum viſcida cruditas, licet mediocriter attenuata, & mixta cum ſanguine, ſuam tamen retineat promptitudinem ad coeundum, ſic remiſſionis tempore, quo vaſorum minor paſſio, vis, atque attritio, quædam corpuſcula chyli crudi alicubi convenientia, & maſſulas majuſculas efficientia, in arterioſa capillaria cerebri, plenitudine cogente, intruſa magis diſtendunt eadem peculiaria vaſcula, unde in illa capitis regione particularis dolor, donec in venas, plenitudine eadem abripiente, pertranſeant, aut per anaſtomoſes, ſeu conjunctiones arteriarum, in alias arterias, atque inde in capillares fines arterioſos alterius cerebri partis ferantur craſſamenta, ac migret ſimul dolor ab uno in aliud latus. Ita & alii particulares quorundam locorum, in artubus præcipue, cruribus &c. dolores fibrarum, tendinum, membranarum, perioſtiorum inſtabiles, recurrentes naſcuntur ab eadem viſcida cruditate, quæ ſenſim unitur, ſenſimque craſſeſcit, in partibus primum a corde diſcitis, & hic illic tranſitum ſanguinis per vaſa arterioſa quædam, fibraſque has, vel illas, retardando, eadem diſtendit, & dolorem ibi parit, donec craſſamenta eadem revertantur in venas, per quas in cor denuo, ac exinde in alias arterias deducantur, eandemque illis moleſtiam inconſtantem inferant.

Sic eadem relicta & vires gravans, & prona ad cohæſio-

hæſionem, & minus tunc temporis conquaſſata, in febris remiſſione, a vaſorum motu tunc temporis rariore, ac debiliore, chyli cruditas paulatim, gradatimque convenit, cumque ejuſdem partes ramoſæ ſint, ſicuti oleoſorum omnium, hæ ad invicem coaleſcunt, accedente potiſſimum ex ſumpto etiam neceſſario alimento novo chylo, crudique veteris reſiſtentiam augente adverſus vaſorum actionem. Rurſumque in horas magis unita, & prout ex cauſis plus, minuſve habet craſſitiei, & viſciditatis, ſanguinem magis, minuſve denſans hæc morboſa materies, plus, minuſve implicat, & retardat ſanguinis ejuſdem circuitum, ſemper tamen difficiliorem reddit ejus exitum ex univerſis anguſtiſſimis arteriarum ramulis, ob hanc eandem partium unionem, ita ut nonniſi majore cordis, arteriarumque labore & exerceatur circuitio, & craſſamenta eadem moveantur, ac propellantur per conos arterioſos ab lato in anguſtum, hinc juxta ea, quæ ſupra tradidimus, diſtenduntur iterum cor, & arterioſa vaſa nimis plena, majoreque propter irritationem motu agitantur. Reviviſcit Acceſſio.

Diſcrimen ponimus inter acceſſionem, atque exacerbationem, quamvis utriuſque mæchanica geneſis in cœterum conveniat, quia acceſſio ſenſibiliter, ac ferme repente ægrum aggreditur; exacerbatio autem incipit paulatim, multo minus evidenter, atque inſenſibiliter ob minorem craſſitiem, viſciditatemque cruditatis, & minus culpabilem ejuſdem cum ſanguine mixturam.

Porro alternatio intenſionis acceſſionum earundem, ſive paroxyſmorum febrilium, qua altera die gravior eſt paroxyſmus, levior altera, ex eo naſcitur, quod prior fortis paroxyſmus ita ſolvit materiam, ut ſubſequente die ipſa in altero mitius cohæreat, & facilius cedat, unde cordi, arteriiſque non adeo laborandum ſit in propulſione, attenuatione, ac miſcella, inde humilior paroxyſmus, qui tamen, mino-

minore exiſtente irritatione, communem craſſeſcentem maſſam minus attenuans, conquaſſans, miſcens, anſam præbet fortioris cohæſionis viſcido morboſo chylo, & acceſſionis, ſeu paroxyſmi die ſubſequente intenſioris.

Ratio vero inæqualitatis in vi febrili, ſeu ratio inſultuum inopinatorum, qui aliquando, vix una finita acceſſione, recurrunt; tum ratio inconſtantiæ, inæqualitatiſque ſymptomatum ab eadem craſi ſanguinis, & circuitione, inæqualibus ob male mixta craſſamenta, & viſciditatem, repeti poteſt. Craſſamenta nanque, & viſciditas, etiam ſolvi, ac miſceri incipientia, antequam eo redigantur mediocritatis, ut tollatur acceſſio, iterum arteriarum fines, quo fortuito unita appellunt, obſtruere valent, atque orgaſmum ſupra ſe facere in conicis tubis (unde acceſſio alia inopinata, priuſquam jam tenens decedat) & pro diſpoſitione craſſiore, ac viſcidiore, aliquando circuitionem quoque ſanguinis adeo cohibere, ut repetat frigus, poſteaquam fuerit ablatum. Inſuper evenire etiam poteſt, ut craſſamentorum viſcidæ particulæ, ulterius ſolutæ, & per ſanguinem ſparſæ, non male eant per grandiuſcula vaſa, verum ubi in tenuia inſinuantur arterioſa vaſcula, arteriarum majorum tunicas circumeuntia, fineſque ſtrictiſſimos habentia, quæque ab ipſarum majorum plenitudine, & diſtractione magis anguſta redduntur, difficile pertranſeant, atque hic illic retardentur, unde in his quoque turgentia, diſtenſio; hinc preſſio diametri majorum arteriarum ad extremas potiſſimum partes, ubi ſunt anguſtiores, ac tenujores; hincque novus fieri poteſt in maſſa communi, per ſe ſatis culpanda, ſupra anguſtias orgaſmus, donec e finibus arteriolarum, in membranis majorum incluſarum, hætherogenea corpuſcula tandem exeant, & per venulas, in tunicis iiſdem exiſtentes, ab anguſto in latum ferentes, alio commigrent. Hæcque altera probabilis cauſa inexpectatorum inſultuum, aut augmentorum, &

alio-

aliorum ſymptomatum etiam localium in Febribus. Sed idipſum vaſculis ſanguiferis membranarum quoque nervos conſtruentium accidit, ut in eadem peccans materia intrudatur; ſiquidem experimento conſtat, hætherogeneum liquorem, nempe atramentum, in carotidem vivi animalis immiſſum, nervos tingere, quod non ideo ſequitur, quod tubulati ſint nervi, ſed quia vaſcula ſua habent ſanguifera, ſicuti & alia vaſa, quemadmodum Anatomici teſtantur. Quare ſpirituum, ab inæquali craſi, & circulatione iniqua ſanguinis inæqualium, inæqualiterque ſecretorum, inæqualis quoque per obſceſſos nervos derivatio ſequi valet, atque hæc cum ſupradictis & febres, & ſymptomata diverſimode quit alterare.

Item ab chylo male cum ſanguine mixto in his febribus inæqualitas pulſuum; inordinati tenſivi dolores, locum mutantes, repetentes; cardialgiæ; tormina; inæquales, & vitiatæ ſecretiones: vomitus, choleræ; incitamenta Iliacæ Paſſionis; inflammationes ſpuriæ, vagæ; parotides, tumores inſtabiles, retrocedentes; rubores faciei inconſtantes, alterni; maculæ cutis, quibuſdam temporibus apparentes; ſic ſtupores; convulſiones; deliquia per vices recurrentia naſcuntur, deliria in acceſſionibus revertentia &c.

Nulla porro ſimilitudine clarius explicatur delirii generatio, & natura, quam fiſtularum muſicarum, quæ multæ ſimul ſerie quadam, & ordine junctæ ſunt, quæ vulgus *organa* vocat. Hiſce ſi a perita manu ſuavi proportione ſpiritus, ſeu aura e follibus diſtribuatur, gratiſſima funditur harmonia, quæ auditum juvat, atque delectat; veruntamen ſi modo huic tubo, modo illi immodicus aer determinetur, qui ſeſe crudeliter elidat, inconcinnæ ſequuntur voces, ac ſibila, quæ caput plectunt, aureſque adſtantium exaſperant, ac vario feriunt ſtridore. Ita dum animales ſpiritus naturali methodo fibrillas cerebri, ipſius nempe corporis calloſi, ubi cogitantis Animæ thronus, adeunt, illiſque debitas un-

dulationes inducunt, puræ ſequuntur ideæ germanus diſcurſus, rectumque judicium Anima elicit, optime intelligit, præteritorum memor quæ bona videt voluntate ſectatur; quæ omnia ad rationalis vitæ œconomiam apprime faciunt. Si vero ſanguis, quemadmodum in his febribus cerebri vaſcula male percurrens, craſſamenta huc illuc adducat, quorum cauſa inique influat, ita ut retardatus in quibuſdam vaſis coacervetur, in aliis celerius diſcurrat, hic illic a turgentia vaſorum peculiari comprimentur quædam cerebri glandulæ, & quidam ductus, ſicque ſecretio ſpirituum, ac derivatio in hos cerebri villos intercipietur, atque interea abundantius alibi ſeparabuntur ſpiritus, & debito uberius ruent in villos alios, in quos propterea nimius erit ſpirituum impetus. Mutabuntur vero vices, dum ea craſſamenta alio migraverint. Villi autem iſti, ſeu fibrillæ nimis, immodiceque pulſatæ, quietis interim, nec reſpondentibus, aut paſſionem, officiumque temperantibus aliis ſociis, & per ſaltus, ac præpoſtere motæ ideas morboſas, mancas, abſurdaſque reddent, atque inter ſe oppoſitas, & male eas componet vitiata ratiocinatio, quæ nonniſi ex ideis bene impreſſis, aliquid recte conjicere poteſt. Ac memoria ipſa, quæ in perſeverantia jam factæ impreſſionis idearum ſita eſt, defectum patitur; hinc pravum ſequetur judicium, quod verbis prolatum ſtuporem, mæroremque, vel riſum aſſidentibus incutiet; quinimmo hæc prava ſequens illuſa, & cæca voluntas in fas, nefaſque labetur; unde incompoſiti geſtus atque incongrua tentamina, uſque ad domeſticorum faſtidium

Hoc autem, quod in hiſce febribus contingit delirium differt ab eo, quod in Phrenitide occurrit, in qua ferox eſt, audax, violentum, horrendum; id vero plerunque lene eſt, pacatumque, atque intra verba, alioſque haud furentes conatus contineri ſolet, ita ut magis deſipientia videatur. Diverſitatis cauſa in morbi diverſitate: in Phreni-

tide

tide fixum eſt malum, durumque, & cum ſummo dolore premuntur cerebri vaſa, & organa, hinc violenta ſpirituum fervidorum extorſio, & derivatio cum iracundia. In noſtris autem febribus mollior eſt, & locum mutans materia, ſolidumque laxius, ex quibus obtuſus, vagusque gravantis diſtenſionis ſenſus, & ſpirituum hebetiorum lenta, atque inordinata ſecretio, ac deductio, unde fatuitas. Sic denſi duriorisque temperamenti homines ferociores, pervicacioresque, molles vero moribus mitioribus præditos, jocoſoſque experimur.

Aliud diſcrimen eſt inter delirium phreniticorum, noſtrorumque ægrotantium delirium; quod nimirum in illis, vigente mentis emotione, vehementiſſima febris percipitur; in noſtris autem delirantibus ſpeciatim inæquali febre decumbentibus ſæpe mitiſſima, aut vix ulla apparet. In Phrenitide meninges, cerebrumque ut plurimum ſolum (ita enim vaſa arterioſa ab ſapientiſſima, vitæque provida Natura in cerebro diſpoſita ſunt, ut obſtinatior, rudior, aſperior, magiſque obliquum, quam rectum iter, atque in debiliora, quæcunque prima adit loca, decubitum affectans maſſæ communis vitioſa portio, fixas faciens inflammationes, in cerebro relinquatur) ſtabili, ac locali inflammatione obſidetur, quo fit, ut ſanguinis per affecta loca circuitio pene intercipiatur, ſicque per cerebellum magis fluat, & per conſequens majore ſanguis influat quantitate, ſpirituſque plures in hoc ſecernantur, unde vitalis vis, cui maxime cerebellum inſervit, major, quamvis ſymptomatica, atque febrilis; hinc fortior, frequentiorque pulſus, febris acutior. In noſtris vero materia per ſanguinem ſparſa, ac male mixta quidem, ſed vaga eſt; quando itaque eadem ab acceſſionibus ſolvi incipit, quocunque propellitur, & cerebrum ſimul, cerebellumque petit, atque cum plurima ſit in febribus delirium afferentibus, maleque admodum ideo regatur,

infirmi, quasique degeneres spiritus ob valde impuram crasim sanguinis, parciusque ob ejusdem sanguinis tarditatem; & ob inæqualitatem crasis, & circuitionis ejusdem inconstanter ipsi separantur, ac derivantur, unde languet cum tremula facultate animali (cujus est voluntarius motus, & sensus) etiam vitalis; indeque pulsus vel mediocres, vel parvi, rarique in hoc delirio, atque inæquales deprehenduntur, neque febrem palam ostendunt.

Convulsiones, *clonicæ* dictæ, seu subsultus tendinum fiunt ex spirituum, vel sanguinis, vel utriusque irregulari influxu in musculos. In his febribus, præsertim inæqualibus gravioribus, sanguis, & spiritus inique feruntur. Sanguinea communis massa, ut toties inculcatum, male est mixta, ideoque crasis hic crassioris, & viscidioris, illic minus, unde circuit inæqualiter, ac temere, quia ubi ab crasso chylo retardatur, alio deflectit, ubi minorem habet resistentiam, eoque cursum intendit, atque abundantius affluit, crescitque actio musculorum illorum, quorum fibræ nimia sanguinis quantitate replentur, imminuitur actio oppositorum, parum sanguinis recipientium. Cum autem mollia, ac lubrica crassamenta causæ tarditatis, & repletionis particularis mobilia sint, atque instabilia, fortuita convulsio modo huic, modo illi musculo continget. Deinde ab inæquali sanguiferorum vasorum distensione comprimuntur hic, illic nervea stamina: modo hæc, modo illa; hinc spiritus animales ab inæquali materia inæquales, & morbosi, ab inæquali sanguinis circuitione inæqualiter secreti, & ob ductuum iniquam dispositionem, perperam irruentes in nervos musculorum (tot de causis) modo huic, modo illi nerveo ductui minori quantitate impertientur, quam huic alteri; quare horum tensio musculorum, & fibrarum, in eodem etiam musculo necessario præpolebit, quæ majorem recipiunt spirituum copiam. Ex his omnibus motus membrorum inordina-

dina-

dinati, involuntarii, convulſivi tremores in his febribus de facili, ac citiſſime ingruunt; Non tamen fortes eſſe conſueverunt iſtiuſmodi clonicæ convulſiones, quia languet ſolidorum motus, & liquidorum, ſicuti de delirio dictum; ſed tenſis aliquantulum, ſine ordine muſculis, aut (quod crebrius evenit) fibris quibuſdam eorundem, citoque remiſſis, tendines plerunque ſoli manifeſte ſubſiliunt; raræ enim ſunt convulſiones tonicæ, ſoliſque in acceſſionum initiis, quibuſdam occurrunt, hi vero ſubſultus quocunque tempore, ſed minus in vigore acceſſionis, quemadmodum & pulſus inæqualitas, niſi tamen plurima ſit, ſeu perturbata materia.

Comatoſi affectus, ſtuporeſque periodici in hujuſmodi acutis inducuntur a cruditate chyloſa, cum ſanguine inæqualiter mixta, magna copia ad cerebrum delata, atque illinc poſtea circulatione derivata. Stupiditates autem inconſtantes peculiarium membrorum, ſive a dicto in cerebrum inſtabili materiei appulſu, ſive a nervorum alterno, vagoque deſcripto infarctu naſci queunt.

Deliquia ex cordis, vaſorumque oppreſſione, ubi quaſi ſegregata initio acceſſionum cruditas tum perpaucos cerebrum pervadens, fœdoſque ſpiritus ſuppeditat, tum per cor, & aortam veniens coronariis arteriis impuriſſimum, ac lentiſſimum ſanguinem; unde fibrarum muſculoſarum cordis languor, & impotentia vaſorum, ex quibus deliquia, & ſyncopes.

Inter generalia ſymptomata ſanguis quoque extractus, cum amurcoſa albo-flaveſcente, ſive albo-cærulea, aut virideſcente concretione in ſuperficie, eſt conſiderandus, quippe qui in his febribus tam acutis, quam chronicis, hyeme potiſſimum, vere, atque autumno ſic ſæpe ſolet apparere. Chylus ſanguini non intime mixtus, cruduſque, ab univerſali unione, & concretione totius, pura vi vaſorum, & motu vindicatus, in extracto ſanguine quieſcente ſui juris factus, quo major eſt ejus copia, craſſities, & viſciditas,

eo

eo citius e compedibus partium ſanguinearum liberatur, & quum multæ ſit ſuperficiei, ſicuti oleoſa omnia, late diffluentia, ſuperiorem partem ſanguinis extracti tenet, & quum ramoſus ſit, unitur, denſatur, concreſcit. Albus per ſe chylus, flaveſcentem vero, aut viridem colorem ab impura cruditate, & humorum aliorum admixtione acquirit.

In quo ſaltem obiter, illorum opinio refutanda, qui hujuſmodi polypoſam concretionem ab ſanguinis fibris, colore per neſcio quam *præcipitationem* exutis, conſtrictis ſimul, compactiſque fieri, autumant; nam primo, ſi fibroſa pars ſanguinis in ſuperficiem conveniret, globuloſa ſtatim quaqueverſum difflueret, ſerumque penitus infectum, rubrumque exhiberet. Præterea in lacte, quod eſt ſanguinis proxima materia, dum quieſcit, non pars fibroſa tenet ſuperficiem, ſed oleoſa, ac butyroſa; idipſum tandem in jure cernimus, dum refrigeratur, in quo cito adipoſa ſupernatant, & fibræ carnium ſolutarum reliquum occupant, & quæ rudiſſima ſunt infimum vaſis.

Sed ex hactenus traditis aliqua communia ſunt utrique inconſtantium ſpeciei, ſaltem quæ prius explicavimus phænomena, antequam graviora attingeremus; ex omnibus nonnulla competunt etiam Febribus magis ſibi conſtantibus (proportione tamen habita, nam quæcunque inæqualitas minus evidens eſt in his, quam in illis) quemadmodum ſunt augmenta febrium, & ſymptomata quædam non æqualia, ac recurrentia; quia fere nunquam exacta fit mixtio in maſſa communi, poſita chyli cruditate. Quapropter in particulari alia quoque accidentia conſiderando, & juxta ſeriem diſtinctarum ſpecierum Febrium rite diſtribuendo, harum ſpecierum earundem diverſitas, & peculiarium ſpeciei cujuſcunque ſymptomatum generatio eſt ſtatuenda; primumque de chylo inæqualiter poſito jam ſuſceptus ſermo, in particularium explicatione eſt perficiendus.

Pro

Pro varia igitur tam ſanguinis, quam chyloſæ cruditatis quantitate, & qualitate diverſa, & per conſequens pro varia materiei ejuſdem morboſæ cum ſanguine mixtura, hujuſque gradibus, & pro indole diverſa temperamentorum &c. variæ, variique momenti, atque exitus varii ſunt hæ Febres. Quæ potiſſimum per cauſarum procactarticarum examen curabimus, ut clarius exponantur.

Ex iis, quæ habuimus cap. 3. apparet, inter cauſas harum Febrium primum locum tenere plenitudinem ſanguinis, in qua etiam plenitudine dantur diſſimilia accidentia: Quando ſanguis qualitate inculpabilis (cujuſmodi eſt in pueris, adoleſcentibus quibuſdam, optimiſque temperamentis) quantitate ob externas cauſas excedere incipit, Naturam turbat, quia chylus ſuperadditus non convertitur in ſanguinem, ſed remanet crudus in maſſa, ac, retardata ejuſdem circulatione, valde ſenſibilia vaſa diſtenſione cito, ac repente irritat; hæc autem irritata ſtatim ad fines arteriarum rudem cruditatem, mole, ſeu quantitate partium molem, ſeu quantitatem particularum ſanguinis ſuperantem cogunt, & fit tractim craſſamentorum diviſio, hinc frigoris, caloriſque viciſſitudo. Quamobrem modica exiſtente materia (quia antequam multa congregaretur, ſurrexit Natura) & quemadmodum diximus collecta, ſequitur, ut ſanguis ea non ubique ſcateat, ſed tantum alicubi, hinc meliores ſpiritus paſſim ſecernuntur, hinc febres cum impetu aggrediuntur; inter ſolidum, fluidumque, & tractim inter puras ſanguinis partes colluctatio, calor primis diebus, præſertim in acceſſionibus febrilibus, donec conquaſſata cruditas, & quacunque diſperſa, minus reſiſtendo, minuſque inde irritando, minus frequentem pulſum, & partibus ſanguinis interjecta calorem reddat lentiorem. Hac vero chyloſa cruditate paulatim febrilibus acceſſionibus concocta, & per ſecretiones craſſiores ablata, paucis finiuntur diebus iſtiuſmodi minores fe-

febres; quod si vel ab obstructis glandulis, vel aliis de caussis ista impediantur, diuturniores sunt, atque adeo in chronicas transeunt.

At in effætis, senioribusque hominibus, quum minus mutetur sanguis, quippe qui vetus est, ac vapidus, & ob minorem sensum, vigoremque vasorum, & magis desidiosam vitam, atque interim a quotidianorum alimentorum sanguificis particulis, quoad fieri potest, augeatur, is abundantius congeritur, ac Naturam quidem onerat nimius sanguis, ac minus movetur, conteriturque cum quotidiano circumeunte chylo, in dies magis crudescente, unde ipse sanguis & fit totus crassus, & ubique cruditate contaminatus. Veruntamen cum obtusa, & torpida sint talia corpora, cumque gradatim congregentur in talibus nimius sanguis, crudusque chylus, & quasi insensibiliter, non stimulant Naturam ad febrem, nisi tarde, segniterque, & sine ullo strepitu, nascunturque inde Febres fere æquales primæ speciei, de quibus clarius, distinctiusque suo loco.

In aliis autem plethoricis, neque acutiori sensu donatis, neque contra obtusis nimium, languidisque, congesto sanguine nec puro, neque admodum impuro; ex nimia, inquam, hujus quantitate crudescens in mediocribus hujusmodi hominibus chylus nec adeo cito, sicuti in pueris, atque adolescentulorum optimis corporibus, neque tarde, veluti in effætis senibus, quasdam febres generat, quæ neque impetuose, neque clam, sed moderate oboriuntur cum alterno frigore, quæque in dies crescunt; suntque de inæqualibus majoribus, atque accessiones habent sensibiles, & distinctas, quia aliquantulum crassus sane est in his sanguis, sed recens chylus crassior sanguine quia rudior, crudiorque supereminet, & inæqualiter cum sanguine miscetur. Et pro aliis adjunctis facili negotio deteriores, adhucque graviores efficiuntur dictæ Febres, proque adjunctis aliis, etiam in pessimas, ac malignas evadere valent.

Male

Male etiam cum ſanguine miſcetur, ſi quantitate nimia peccat chylus; quandoquidem cum plus chyli exiſtat, quam poſſit ſatis moveri, comminui & diſtribui ab motu vaſorum, cumque is per ſe ad cohæſionem tendat, ſui unionem, concretionemque, neceſſe eſt, ut male, inæqualiterque miſceatur.

Non tamen omnia temperamenta magnam itidem chyli quantitatem in vaſis æque coacervare ſolent; in quibuſdam enim vegetorum puerorum, aut adoleſcentulorum vividiſſimis corporibus, ob edacitatem iis conſuetam, aut corporis inhibitis exercitationibus, aut imminutis quomodocunque ſecretionibus, chylum digerentibus, & conſumentibus, ſæpe quidem chylus aliquatenus ſuperabundat, ſed Natura ſtatim irritata hanc quoque incœptam cruditatem, per febrem ex hoc genere, ſive ephemeram, ſive intermittentem, ſive aliam tandem minorem continuam aliquot dierum, multoties ad ſecretionem diſponit, & præparat, ac per ſecretoria amandat. Contra res hic pariter evenire crebro conſuevit in contrariis ætatibus, & temperamentis.

Enimvero tam a nimio ſanguine, quam a nimio chylo, quam ab utroque, quam demum ab aliis cauſis, mox ad trutinam revocandis, & inæquales minores, & majores &c. pro diſpari exceſſuum menſura, & differente corporum habitudine, exoriuntur. Illud autem tenendum: nil magnum in Natura repente fieri, & quo citius Natura in cauſam inſurgit, eo minoris momenti; quo ſerius, eo graviores naſci febres; nam ex Hipp. lib. 1. de diæta: *Morbi paulatim collecti acervatim apparent*. Ex quibus rationalis diagnoſis, atque univerſalis minorum ab gravioribus, & magis periculoſis vel in ipſarum principiis erui poteſt. Quum videlicet a quacunque cauſa cito, fortiterque Natura laceſſitur, eæ fere minores futuræ ſunt, breviores, decreſcentes, & *paracmaſticæ*; quæ vero tarde, & poſt longas moleſtias, periodoſque emergunt,

eæ graviores, perniciosiores, viresque in dies acquirentes, *epacmasticæ* antiquitus dictæ.

Ex se insidiose sanguinem inficit, gravatque, quia spiritus vitales contaminando paulatim imminuit, impurus, ac fæculentus chylus ex alvi aut suppressa, aut parciore secretione, atque excretione. Quando enim venter male digerit, maleque excernit, crassior, rudior, ac fœdus necessario in sanguinem ingreditur chylus. Excrementosam turpem aliquam portionem in massam sanguineam ex intestinis commigrare, interdum liquida etiam existente alvo, vel ex eo constat, quod non semel videre est, viridescente alvi fluxu, viridescere simul aliquid coaguli, in sanguine extracto, flavescente, flavescere. Intrat igitur, maleque miscetur cruditas istiusmodi, quia partes scilicet fæculentas habet, atque irregulares, circulationemque in dies magis retardat, & turbat. Non consuevit parere statim grave malum, sed sensim auget, apponendo sanguini impuram materiam, sæpeque gradatim facit permagnum, ac periculosum.

Vitiosa autem, & culpabilis plenitudo maxime fit ab culpabili chylo, qui ex mala conficitur materia, præsertim nimis pingui, & insipida, ut ex suillo adipe, sive lentissima, ac viscidissima, ut ex fungis &c. Quandoquidem talis chylus ob nimiam crassitiem, ac gelatinosam, amurcosam, glutinosamque visciditatem suarum partium nequit semper in sanguinem commutari, quinimmo vasa haud raro (quando nimirum diutius remanet in sanguine) obtundendo, ac relaxando, minus sensibilia, & facili negotio distractilia reddit (quo fit ut cruditate magis, fereque sine sensu, impleantur) simulque sanguineas particulas involvit, irretitque, unde secretiones omnes imminuuntur, indeque in dies amplius sanguinea massa crudo chylo scatet, qui ob eandem crassam, & viscidam suam substantiam male miscetur. At-

que

que ab hac maxime caufa nafcuntur infidiofæ febres, quæ ab initio leves, mediocrefve videntur, fed quando ad ftatum pervenerunt, adftantes, Medicofque terrent, ægrumque fæpenumero jugulant. Parcat rationi Sydenham, cœteroquin oculatiffimus Auctor, qui hanc eandem Naturæ oppreffionem in iftiufmodi Febre ab fanguinis potius accenfione, feu rarefactione inflammatoria immediate deducere videtur; ideoque *frigidiffima quæque* indicari minus bene judicat, & ipfam catharfim præcipue ad refrigerandum imperat, quod ibidem legere eft, nempe in Schedul. monit. de nov. feb. ingref. etenim inter cœtera, gelatinofa, glutinofa, ac præfertim fungi, qui elixatione vifcidiffimi fiunt, poft quorum comeftionem nonnunquam videmus erumpere has fuffocatas febres, nequaquam rarefaciunt fanguinem, cum rarefactioni tollendæ potius dicata fint, & nata. In his præterea febribus cum pulfu, per frequentiam non manifeftante febrem, abfentia quoque caloris urgentis copulatur, quod & ipfe agnofcit Scriptor. Quomodo vero accenfio fanguinis univerfi abfque calore, ne febrili quidem, ftare poteft? Inflammatio ergo ifta fuffocans, & opprimens hominem in hifce graviffimis febribus non eft a calore, fed ab craffa, vifcidaque chylofa materia, rectum iter fanguinis per fua vafa præpediente. Nam cum primum ab craffiffimo, & vifcidiffimo chylo infecta eft maffa fanguinea, hæc retardat multum, pluribufque rationibus fenfum, & actionem cordis, atque arteriarum; nimirum quia permulta plenitudine, pondere, vifciditate, & craffitie nimium & gravat, & refiftit; hinc admodum lenta ejus circuitio; ab tali autem fanguine denfo, impuro, tardeque circumeunte, hebetes, ægri, lenti, paucique fpiritus feparantur, unde fenfus, & actio magis magifque imminuuntur; præterea multus fuperabundans chylus vifcidus oleofus vafa omnia relaxat, & non folum minus fenfibilia reddit, emolliendo, & lubricando, verum etiam ad

actionem lentiora, & molliora; tum ab hujuſmodi ſanguine cerebrum gravatur præ cœteris partibus, & ſenſus, motuſque capiunt inde quoque detrimentum. Sanguis denique arterioſus, qui eſt ſecundus impetum faciens, torpide, inæqualiterque in fibras muſculoſarum tunicarum vaſorum ſerpit. Quibus poſitis, vaſorum diſtenſionem obtuſior ſequitur irritationis ſenſus, languide, ſegniterque Natura in irritationem inſurgit, vaſa neque celeriter, neque frequenter movet, ſed vix naturali frequentiorem excitat pulſum, ſæpius etiam naturali rariorem, huncque tam cordis, quam arteriarum: quo ab Natura cautum eſt, ne citiſſime pereat circulatio ſanguinis; ſic enim pigerrima ſanguinea maſſa minus anguſtum ſpatium habet ad ingrediendum ex vena cava in dextrum, e pulmonari vena in ſiniſtrum cordis ventriculum, quin multum a contractione ipſorum retardetur. Ita rarius contractis corde, & arteriis, pariter e ventriculis cordis in arterias, per earumque ſimiliter languidos fines paulatim emittitur, atque elabi ſinitur concreſcens quidem, ſed lubricus ſanguis, in venaſque tranſire, conceſſo idoneo tempore commode egrediendi, quin antecedens nimia, nimiſque frequens anguſtia, & preſſio univerſam talis ſanguinis circuitionem in præſentaneum vitæ periculum remoretur; Hinc in principiis harum febrium, dum magis eminet craſſities, quæ minus movetur, & magis diſtenſione ſanguiduca vaſa irritare ſolet, frigus eſt non forte, ſed valde diuturnum; nam eadem remiſſio contractionis cordis, & arteriarum efficit, ut craſſities minus retineatur, ſtringatur, atque attenuetur, cumque plurima ea ſit, tardeque ſolvatur, frigus minus intenſum, ſed longum facit.

Calor quoque blandus eſt, maxime matutinus, quia calorem in ſanguine, & per conſequens in corpore præſtant duo, ſcilicet vel ſanguinis velox circuitio, vel in ſpiſſo, ut ajunt, inflammatorio partium ſanguinis mutuus colliſus, & confricatio, dum ſubſequens antecedentem pigriorem urget.

ori-

oriturque inter ſanguineas partes conflictus, & motus quidam celer, ac perturbatus particularum ſulphurearum ſanguinis jam ſolutarum, nam crebra confricatio violenta etiam a duobus lignis ſcintillas elicit, & frequens malei ictus percuſſum clavum magnopere calefacit. Sed hic duo iſta deſunt, quoniam tardus eſt (quoad primum) ſanguinis circuitus; & ſpiſſus quidem eſt, denſuſque ſanguis (quoad ſecundum) verum affrictus inter ipſius ſanguinis partes prohibetur ab interpoſitis partibus viſcidis chyli crudi, ac multi, ſanguineas particulas involventis.

Hinc etiam eſt, quod in his urina ſanorum urinæ ſimilis ſolita ſit effundi; ut enim ſatura ſalibus, fuliginibuſque ſit urina, iterum opus eſt attritu, & confricatione commemorata inter ſanguinis partes, ita ut iſta abunde ſeparentur, exemplo ſint ſaturo rubicundæ urinæ ſanorum, qui poſt vehemens corporis exercitium mingunt. Cum vero attritus, & colliſſus partium ſanguinis ab tali intermedio chylo intercipiantur, neque ſatis rubra cernetur urina.

Hæc ut evidentius probentur, neque inanibus cogitationibus inniti videamur (vana namque omnia, quantumvis ingenioſa, in Medicina, quæ ab Naturæ tramite diſcedunt, neque ab meris practicis obſervationibus petuntur) ponamus reſiſtentiæ utriuſque, nempe quantitatis, & cruditatis maſſæ communis partem demi; & quod ad primam, detrahantur ſanguinis aliquot unciæ, en ſtatim, quædam licet mulceantur ſymptomata, nimirum capitis obtuſitas, turbatio, corporis univerſi torpor, oppreſſio, ligamen, & ſimilia, ipſa tamen febris ſenſibilius affligit aliquatenus micans, neque amplius tam doloſe latens, pondere ad minora redacto, circuitioneque ſanguinis minus cohibita. Quod ad ſecundam, cacochymiæ notabilis portio educatur, ecce magis expanditur, & creſcit febris; etenim ablata e maſſa ſanguinis iſta chyli crudi parte, circuitio ſanguinis ejuſdem adhuc quidem a

mor-

morboso reliquo implicatur, sed minus, quam antea irretitur; hinc spiritus animales minus culpabiles, pluresque, quam prius separantur, sensusque, & motus magis expediuntur; quare pulsus celerior, & frequentior fit, minusque inæqualis, aut inconstans; quum autem sanguis recta nequeat impelli ea celeritate, quæ acceptorum ictuum momento æqualis sit, quia ab residua impeditur materia, in latera vasorum impetus non parvus regeritur, unde vasorum distensio major, atque a distensionis dolore major actio: attenuatur, diruiturque interposita minor, quam ante, cruditas, & globuli sanguinis sese mutuo collidere incipiunt; ex his febris vehementior, accessio fortior, calor vere febrilis, urina rubicundior.

Id, si libet, experiamur ad probandum assertum; cœterum eandem febris speciem ab arte intactam respicientes; quoniam massa communis, stupida, torpenteque Natura, minus conteritur, atque agitatur, quam in aliis febribus, ab corde, arteriisque, sequitur, ut ea simul omnis magis, magisque lentescat, atque in coagulum deterius tota ruat (sic sæpe videmus in hujuscemodi febre, præcipue provecta, sanguinem phlebotomo, tunc primum inflicto, ægerrime exire) & decrescat spirituum secretio, ita ut ipsi in statu morbi, quo tempore maximum esse solet in aliis febribus certamen, necessitati non satisfaciant; quapropter nil mirum, si tunc gravissima mala, quasi ex insidiis erumpant, & appareat potius attonitus sopor, stupor, oppressio magna ægrotantis, quam multus calor, & par rebus febris intensio; sique cum pulsu id non portendente in agonem ferantur ægri; quum pulsus tunc minus inæqualis, fortiorque paulatim fiat, ob magis universalem distensionem vasorum, eorundemque tunc solum valde irritatorum intensiorem laborem, ex quibus orgasmi majores in dies, periculosioresque inducuntur, & inde circuitionis suffocatio fatalis.

Chy-

Chylum modo cum ſanguine magis mixtum conſideremus, & ad alteram claſſem Febrium progrediamur, quas æquales, conſtantioreſque nominamus, quaſque majores noſtri nuncupabant *omotonas*. In quo humiliter Lectorem moneo, æquales a nobis non abſolute dici, tanquam ubique ſimiles ſint, etenim aliquam viciſſitudinem, & inconſtantiam in ſymptomatis, aut in horum aliquo præſeferunt, quemadmodum ex ſignis communibus conſtare poterit, quod & alibi innuimus; ſed æquales appellari, comparatione cum inæqualibus facta; ſicque alteras inæquales, æquales alteras vocamus, ad diſtinctionem. In illis minus, in his vero chylus magis, & ubique cum ſanguine miſcetur, non tamen omnino, ac perpetuo æqualiter.

Harum autem æqualium primam ſpeciem, diximus, ſenioribus effætiſque, ſecundam junioribus, bonis, ac cœteroqui ſanis temperamentis advenire. Præterea chylum crudum cum ſanguine male miſceri, docuimus, quando ejus craſſities eminet ſupra molem partium, ſeu maſſularum ſanguinis. Sanguis porro non in omnibus unius eſt qualitatis; ſenilia excrementoſa corpora craſſiorem habent ſanguinem, juniora, ac temperata tenuem. Si chylus crudus craſſiſſimus in primis iſtis ab initio congregetur, qualis ex mala materia, cum craſſitie ſanguinem ſuperet, febres facit inæquales graviores, inſidioſas. Sin autem ob nimiam præſertim vetuſti, aut inutilis ſanguinis abundantiam in iiſdem chylus crudus paulatim congeratur a victu conſueto, etſi tempore decreſcentibus viribus, chylus quotidianus etiam craſſus tandem in ſanguine remaneat, quum & ipſe ſanguis craſſus jam ſit, ob antea unitos, & conglutinatos globulos, ab præcedente, ac jamdudum gliſcente chyloſa, primo in exortu plus viſcida, quam craſſa, cruditate (ſiquidem iſtiuſmodi valetudinarii homines cruditatem incipientem ferunt, & quamvis non bene ſe habeant, non tamen ſtatim febricitant)

citant) crudus deſignatus chylus ſuperadditus ſanguineis maſſulis, mole, & pondere eiſdem ferme æqualis, & per conſequens cum ſanguine pari paſſu veniens ab eodem vix diſcernetur, ſed cum eo confundetur, atque miſcebitur; Hinc cum totus ubique contaminatus ſanguis ſit, ubique, ac fere æqualiter reſiſtit, ſpiritus ægroti quidem, ſed æqualiter ſubminiſtrantur, unde ſenſus, motuſque haud inordinate, veluti in inæqualibus, ſollicitantur, neque multum, quia in ſenibus effætis ſenſus, motuſque torpent, ex quibus æquale, quaſique mediocre certamen, Febris æqualis, pulſus ſemper moderate frequentes; duri autem ob plenitudinem, & difficultatem recti itineris maſſæ communis, atque ob idcirco majorem ad latera arteriarum antiquarum, ac ſemicalloſarum impulſum. Rarum in principiis harum febrium, exiquumque frigus, quia mixta, dicta ratione, materia non ita circulationem retardat, ut frigus faciat; ex altera autem parte obtuſa ſanguiduca vaſa, ſpiritibus paucis, & languidis inſtructa vix ſtimulum ſentiunt, neque adeo conſtringuntur, ut enaſcatur craſſiorum jam deſcripta ſeparatio. Calor fere remiſſus, quia ſanguis lente circuit, & non datur conflictus, eum impediente nimia plenitudine maſſæ communis, & ſanguinem involvente admixta viſcida cruditate. In exacerbationibus, aut in externo callido ambiente, aut ab aliis calefacientibus non raro accedit flammeus æſtus, caput, & dorſum affligens; eſtque pars minus cruda ſuperflui, chyli, longo attritu attenuata, ac eliquata, quæ ob redundantiam maſſæ, atque onuſtæ, ſegnioriſque Naturæ impotentiam, eliminari apte nequit, antiquior, & oleoſior, quæ in partes fertur minus reſiſtentes, quemadmodum caput, aut capaciores, quemadmodum magna vaſa ad dorſum, atque hæc, tanquam quid ſulphureum, regiones iſtas calore quandoque perfundit. Caput præ cœteris ſemper

per

per gravatur, quia præ cœteris excedentem ſanguinis copiam, & cruditatem ſentit.

In ſecundis, nempe in illis, qui ſanguinem tenuem habent, chylus itidem crudus congregari poteſt; proque diverſitate pariter cauſarum procactarticarum vel congeritur craſſus, vel tenuis. Si craſſus, febres inæquales facit, quod ex ſupra traditis ſatis perſpicuum; ſi tenuis, licet crudus, ubique miſcetur, ubique retardat circuitionem ſanguinis, quaſique æqualiter perpetuo irritat, hinc febris æqualis. Exacerbatur hæc quidem, ſicuti & pleræque cœteræ acutæ horis fere veſpertinis, quia novus quotidianus chylus, etſi bonus, tenuiſque, crudæ maſſæ communi additus repletionem, & lentorem, indeque vaſorum diſtenſionem, laboremque gradatim auget, unde motus ſenſim intenditur, & ſoluto lentore per motus augmentum, rarefactio inducitur, maxime ſub occaſum Solis, quo tempore etiam atmoſphera ut plurimum rarior, & levior, quod & termometra indicant, vaſa minus firmat preſſione, ex quibus majus irritamentum, & febrilis veſpertinus vigor. Calor intenſior, ac univerſalior ex eo naſcitur, quia in hac ſpecie exercetur inter ſanguinis partes conflictus, quum hic a tenujore, minuſque viſcida cruditate minus impediatur, immo ab eadem, quæ interdum eſt & ſulphureo-ſalina, aliquando intendatur, atque etiam inter hujuſmodi ſolidiora chyli corpuſcula vigeat, ac inter ipſa, & particulas ſanguinis; ab acriore autem iſta pugna, atque ab earundem partium ſolutione calor perennis fortis, atque univerſalis. Quæ per cauſas procactarticas, non ommiſis accidentibus, lucuentius ſignificabuntur.

Diximus, chyli cruditatem tum a nimia ſanguinis abundantia, cum a mole maſſæ communis excedente, ſeu ab ejuſdem rarefactione generari. In rarefactione autem, omnium etiam miſcella contingit, unde febres æquales. Mul-

ta vero ſanguinem rarefaciunt, atque exinde omnia miſcent, hujuſmodi præ cœteris ſunt labores, exercitationeſque corporis violentæ; impedita ſanctoriana tranſpiratio; abuſus vini generoſioris, liquorumque fermentatione confectorum &c.

A laboribus violentis & cruditas, & rarefactio, ſed & mixtura ferme æqualis, ſi chylus qualitate mediocris, & quantitate non admodum opprimente ingreſſus fuerit; hinc febres æquales cum exacerbationibus, cujuſmodi exempla propoſuimus in laſſitudinariis æqualibus Hippocratis.

Tranſpiratio dupliciter deficere poteſt; nimirum quotieſcunque a ſanguine non ſecernitur perſpirabilis materia, & quotieſcunque tanquam ſecreta retinetur. Quum itaque vel ob vitium ſanguineæ maſſæ, vel ob atoniam vaſorum, ſicuti in fœminis, & ſemiviris (in quibus haud tantum cutis mollioris cauſa, ſed & debilis motus vaſorum, & præcipue deſidiæ, quietiſque corporis, hujuſmodi ſecretio minus promovetur); vel ob cruditatem indigeſtorum non ſeparatur a ſanguine, inde ſanguis ipſe ſuperabundat, menſtruis evacuationibus, ſeu phlebotomia demendus, qui ſi talis ſic relinquatur, ac ſuperſit, præ copia non immutatur, & chylus per conſequens in ſanguinem non convertitur, febreſque ex chylo exoriuntur, ut jam memorati ſumus, conditionis hujus, vel illius, pro diſpoſitione diverſa. Verum quando perſpiratio jam præparata, ſeu ſeparata a ſanguine impeditur, quominus per ſecretoria, atque excretoria cutis & pulmonum exeat, atque ab aliqua externa cauſa repreſſa in ſanguinem remeat, in eoque remanet, rurſum vel multa eſt, repente cohibita, & brevi coacervata, vel ſenſim imminuta, & parcius, tardeque congregata. Prætereà vel acrior eſt, vel mitior, pro temperamentorum, aliorumque accidentium varietate. Denique vel eam impeditam ſequitur jejunjum, ſaltemque parcior ſolito victus, aut plenior, & implens. Pro fortuitis hiſce diverſis, naſci poſ-

ſunt,

ſunt, vel non naſci febres, atque illius exoriri, vel alterius naturæ, & generis. Tranſpiratio, quæ multa repente cohibetur, & acrior eſt, quum generaliter perſpiratio prohibita & capitis dolores inferat, & artuum confractiones, ex Sanctorio, ratione, atque experientia, etiam Ephemeras, & Sinocas ſimplices dictas, niſi alia cruditas miſceatur, generare valebit, ſimplici, hætherogeneo quidem, ſed prius elaborato, & concocto *ad tertiam coctionem*, excremento repleta, turbata, morboſeque rarefacta ſanguinis maſſa, quæ in aliquibus nictemeri ſpatio, in aliquibus biduo, in aliis aliquot diebus, niſi alia obſtent, plerunque depuratur. Cœterum tranſpiratio ſenſim remorata tum per copioſiorem ſubſequentem perſpirationem, tum per alias vicarias abundantiores ſecretiones conſumi poteſt, tum per depoſitionem ad membranam adipoſam, & cutem, a ſanguine diverti: *Si ex ſtaticis deprehendatur, impeditam eſſe perſpirationem, diebus ſequentibus vel ſuccedet plenior perſpiratio, vel aliqua evacuatio ſenſibilis plenior, vel cachexiæ veſtigium, vel febris.* Sanctor. in Stat. de ponderat. Aph. 11. tum pauco, & perſpirabili alimento corrigi valet, ac diſſipari: *jejunium corpus ſuo majore pondere* (ob imminutam tranſpirationem, in quo ſolubre dicit idem jejunium Aph. 32. de cib. & pot.) *inſignitum juvat.* Aph. 70. pariter de cib. & pot. *Si poſt mæſtitiam* (quæ ex pluribus ejuſdem graviſſimi Auctoris locis perſpirationem ſiſtit) *corpora fiant leviora &c. id ex neceſſitate fit vel ob minorem ciborum quantitatem, vel ob eorum qualitatem magis tranſpirabilem.* Aph. 18. de Anim. Affect. tum exercitio corporis, ac potiſſimum Animi: *Ubi tranſpiratio in ſanis deficit, exercitio ſarcitur.* Aph. 34. de exercit. & quiet. *Corpus quieſcens magis perſpirat, & minoris ponderis fit, ſi Animo vehementer agitetur, quam ſi celerrime corpus moveatur, Animo permanente otioſo.* Aph. 35. de Anim. Affect. Quamobrem generaliter inhibita perſpiratio ex ſe ſola

raro suscitat febrem. Quod si huic restrictæ perspirationi accedat chylus copiosus, & implens, quum is ob plenitudinem, rarefactionem, Naturæque perturbationem, ex retenta perspiratione enatas, non concoquatur, cruditatem parit, & repletionem, a qua in dies magis per quemcunque victum deprimitur virium cum hac eadem resistentia æquilibrium, unde sanguifera vasa majore pondere gravantur, fortiusque distenduntur, ac stimulantur, febrisque gignitur ex chylo; neque enim febris statim ab impedita transpiratione suboritur, nisi ea, sicuti dictum, multa repente, & acris cohibeatur, sed *diebus sequentibus* ex eodem Sanctorio, in primum allato aphorismo, atque adeo in altero, in ejusdem perspirationis imminutione laudat jejunium; neque alias cohibet secretiones in sanguine modice restitans sola parata perspiratio, cum ex citata Sanctorii doctrina, & per se uberius, & per alias auctas secretiones non raro exoneretur, utpote concocta, tenuis, ac stimulans, contra ac chylosa cruditas, quæ in sanguine congregata ab eodem nunquam exire consuevit, antequam per febrem, aut per remedia concoquatur; immo ipsa chyli cruditas aliorum omnium humorum concoctionem, digestionem, atque excretionem implicat, ac remoratur; ex quo citissime tarditas circulationis immodica turgentis massæ communis, distensio, atque irritatio vasorum, febris. Ista itaque transpiratio quum sales etiam admixtos habeat (quod vel per experientiam innotescit, nam omnis perspiratio aliquantum acris est saporis, & linguam ferientis) ipsi sales una cum crudescente chylo, in sanguine existente, confunduntur, efficiuntque, ut ille, nisi sit ex mala materia, nimium per se crassa, & glutinosa, cum sanguine magis misceatur, etenim illius viscidas particulas spiculis suis paulatim incidunt, dividentesque comminuunt, & solvunt, simulque iidem vasa sollicitant, unde fortior, crebrior, constantiorque eorum motus, ex quo adhuc

huc major contritio cruditatis, ejuſdemque mixtura quaſi æqualis in maſſa, quæ ideo minus inæqualem, magiſque univerſalem infert diſtenſionem ſanguiferis vaſis, hinc minus diſſimiles eorundem labor, ac motio, unde æqualitas febris.

Præterea ad æqualitatem maxime accedunt hujus generis Febres, quando chylus ſuperexiſtens, atque crudeſcens, ex tenujore, ſpirituoſioreque eſt materia, quemadmodum præ cœteris eſt chylus ex liquoribus vinoſis quibuſcunque, tum ex aliis ſalino-ſulphureis alimentis; talis enim & ſanguinem implet, & primum rarefacit, & æque miſcetur (etſi poſtea totum ſanguinem ſpiſſum reddit, febre ſolvendum) ſimiliterque, & ubique vaſa tendit, diſtrahit, laceſſit, unde æqualis febris typus. In hiſce itidem duplex ſtimulus: alter a plenitudine impura, & tarditate circulationis, alter ab acredine cruditatis; quapropter hæ febres & habent pulſum reliquis frequentiorem, & minus diſſimilem, & vividiorem calorem perſeverantem, & urinam rubro colore ſaturam, igneam emittunt, quia, ex ſupradictis, omnia ad invicem confricantur, atque ſolvuntur.

Calor externus Solis, balneorum, hypocauſti, cruditatem quidem ſimiliter parit, ſanguinem rarefaciendo, veruntamen pro ejus, & chyli diverſitate diverſas febres inducit; etenim iſtæ omnes cauſæ vel ſingulæ exiſtunt, & remiſſæ, modicaque fortuito chyli quantitas in illis crudeſcentis, breviterque concoctilis, atque Ephemeras faciunt cum typo harum æqualium; vel omnia intenſiora ſunt, & Synocas putridas Antiquorum generant.

Et aliquando hæc accidentia, quæ cruditatem cum ſanguine miſcent, caloremque æqualem pariunt, cum accidentibus conveniunt, quæ miſcellam implicant, calorem deprimunt, inæqualeſque reddunt. In hiſce ſi plus exiſtat craſſi, & viſcidi, magis inæquales erunt febres, & calor quandoque naturali minor, quia craſſities, & viſciditas

exce-

excedens oppositas alias minores qualitates superare valet, atque coercere; istiusmodi inæquales esse diximus lassitudinarias in obesis, bene pastis. Sin autem plus undecunque accesserit tenuis, acris, atque miscentis, magis æquales erunt febres, callidioresque, sicuti lassitudinariæ æquales. Si vero utrorunque oppositorum tantum insit, ut pares sint utrorunque facultates, mediæ quædam, seu de utroque participantes nascentur febres, veluti lassitudinariæ illæ Hippocratis cum *neglecta victus ratione*. Sicuti in reliquis suis operibus, partubusque Natura non ab una ad aliam speciem sine medio procedit, quod cum Tullio celeberrimus Vallisnerius sapienter observat, ita neque in morbis ordinem hunc videtur omisisse.

Nos autem distinctam classem intermediam non posuimus, quia omnes Febres vel distincte, sensibiliterque invadentem accessionem habent, vel crescentem paulatim, ac quodammodo insensibiler exacerbationem, indeque primas inæquales vocamus, secundas æquales. Etenim nobis differentias classium, specierumque harum Febrium ad distinctionem ponere volentibus haud iste ordo servandus erat, quo Natura suaviter, ac per quasdam interpositas affinitates, similitudinesque, omnes propemodum febres connectit, atque concinnat. Naturæ enim sapientia nobis difficultas. Ac nisi talis modus datus esset opportune, breviterque discriminandi, & nimiæ fuissent dissertationum ambages, & semper aliquid intermedii nihilominus praxeos exercentibus oblatum fuisset.

Nobis profecto, posteaquam chylum male, inæqualiterque cum sanguine mixtum tam in generali, quam in particulari explicavimus, in Febribus, tum quasi æqualiter mixtum, ubique scilicet interfusum, restat ut chyli ex dissimilibus quidem cruditatibus nuper adumbratis (quarum alia cum sanguine sociatur inique, alia probe componitur, atque ubi-

cun-

cunque miſcetur, veluti ſiquis aquæ oleum infundat, & vinum), ſed particulariter, maximeque morboſi, ita ut diſtincta inde exurgant inſignia quædam, allatis vulgaribus terribiliora ſymptomata, hæc eadem producta exploremus, in hiſce peculiarem aliam Febrium Speciem cœterarum pernicioſiſſimam, non intermediam claſſem, propter modo traditas rationes, conſtituentes.

Sic quando in eodem corpore aliquot ex diverſis cauſis procatarticis (quæ ſingulæ, aut binæ ejuſdem characteris, aut ſimilis indolis, diverſas Febrium harum ſpecies conſtituunt, aut quæ licet eſſentia, ac vi differentes, oppoſitæque, attamen & non ingentes, & paucæ quaſdam febres etiam acutas majores, periculoſaſque, de inæqualibus, æqualibuſque aliquid participantes, ſupra deſignatas procreant) fortioribus, ſimul confluunt, uniuntur effecta, atque ita exaltantur, ut conſuetis majora appareant, multiplicatis hoſtibus, reſiſtentia, diſtenſionis ſenſus, viriumque detrimentum, & languor, ac Febres mali moris, atque adeo malignæ propignantur; quæ ipſæ vel inæquales ſunt, vel æquales, prout cauſæ viſcidiores, aut agiliores oppoſitis quoquo modo prædominantur.

Neque multum nobis arduum videtur Febres ex chylo Malignas theoretice exponere, quinimmo per noſtra principia commodius, clarius, ac ſimplicius explicari poſſe, confido, Malignas Febres: tam epidemicas, quam ſporadicas, tamque ſalubres, quam læthales earundem exitus, omniaque, & ſingula earum phænomena.

Ubi igitur in quopiam corpore aliquot procatarticis cauſis, natura, & facultate diſſimilibus, oppoſitiſve, intenſioribus cauſa efficiens, & proxima noſtrarum Febrium innititur, permagna fit cruditatis pravitas, & vis multiplex, quæ ſimul reſiſtentiam diverſimode multiplicat, & vaſorum moleſtiam, ac dolorem exacuit. Quare in his citius, quam

in

in aliis febribus, retardatur ſanguinis circuitus, creſcitque irritamentum, quod reipſa ſentitur, & manifeſtatur per dolores, qui totum corpus veluti frangunt, quique fortiores, & magis univerſales in his periculoſiſſimis febribus, quæ *petechiales*, & malignæ futuræ ſunt, quam in aliis acutis majoribus, perſeverant; Hinc pulſus cordis, & arteriarum, *ab initio fere naturalis*, quia ſub tanta ſarcina torpent, ac languent vires vaſorum, ab irritatione permagna, & creſcente multo frequentior fieri cogitur: ſic in vulneribus membrum primo torpet, deinde clonice convellitur, ac tremit; Veruntamen inde tardius circumeat ſanguis, oportet, quia etſi Natura frequentiore vaſorum contractione defectum ſupplere, & ſanguinem pellere ſatagat, tamen is lentius it, ea ipſa de cauſa, quia nimium frequenter contractis corde, & vaſis, non datur tempus aptum ſanguini ad ingrediendum in ventriculos cordis, atque ad exeundum ab arteriolarum finibus, unde *pulſus frequentia major, quam pro ratione caloris adaucti*. Frigus vero notabile, hiſce licet poſitis, in morbi progreſſu, & ſtatu, raro ſequitur tantam, & in dies, ne dicam in horas, auctam tarditatem circulationis ſanguinis, quia cum tardiſſima ſit eadem circuitio, ſimulque vaſa frequentius agantur, maſſa communis motu quodam inteſtino neceſſario perturbari incipit; idque tum quia omnis, quantumvis craſſi, mixti, impurique humoris, in mobilem, ſeu extrinſeca vi in motum adactum canalem infuſi partes, niſi permittantur, ut recta fluant, circa proprium centrum feruntur, & cum immiſſis ſubſequentibus quodammodo colliduntur, ſi interim in eundem canalem novum liquorem infuderis; tum quia hetherogeneæ, ac diverſæ indolis cruditas jam ab crebriore vaſorum contractione, atque a motu inteſtino, ac repercuſſo particularum maſſæ communis aliquatenus diviſa, & ſanguini interpoſita, dum ad reciprocam rurſus unionem ſingulorum ſimilium contendit, alte-

rum

rum motum excitat, qui eo magis viget, quo minus fluit ſanguis; hinc continuatus fermentationis hic motus circuitioni expeditiori, quoad calorem aliquem faciendum, æquivalet. Ipſeque harum febrium, quantuſcunque ſit, calor ab externo calore multum fovetur, externo frigore ſuperveniente imminuitur, ac cito cohibetur, ſicuti calor cujuſcunque fermentationis, atque putredinis; ſæpe enim evenit, ut hujuſmodi ægrotantes regimine callidiore ferventes, admiſſo frigidiuſculo aere, facile perhorreſcant. Sed non diu id Natura ferre poteſt, nam perquam vehementer laceſſita, præſertim in febrilibus exacerbationibus, in quibus, ut jam docuimus, ſanguis intra arterias maxime coacervatur, orgaſmos ſolvere nititur, ſanguinemque commotum, ac intra ſe tumultuantem, ex anguſtis, nimiumque crebro contractis finibus arteriarum, impedientibus chyli particulis rudioribus, ac viſcidioribus, tardius, ac difficile exeuntem, nonniſi ægrius, laborioſius, lentiuſque depellere valens, ab enormis tamen diſtenſionis, diſtractioniſque vaſorum ſtimulo irritata, quanta poteſt vi in arteriis ſanguinem urgens ſimul efficit, ut is in lynphatica lateralia, emollita, atque dilatata a ſudoribus copioſis ſymptomaticis, ab circulationis nimirum tarditate expreſſis, atque lubricata, detrudatur, ſicque pellatur ad cutem, unde peticulæ fiunt, & ut maſſa communis in putredinoſum motum adigatur (intermedio aere undecunque compreſſo, ac frequentiore vaſorum ſyſtole, & creberrimis particularum maſſæ ejuſdem ictibus agitato, ſeſe reſtituere tentante, ac rarefaciente, & jam multiplices, confuſaſque particularum earundem directiones, reflexioneſque numero augente, magis confundente, perturbante, maſſamque univerſam alterante, diſſolvente, corrumpente) unaque cum chylo in putredinem feratur. In quo miſerrimus fatiſcentis, ſtimulatæ Naturæ motus ab oppreſſione, atque irritatione inditus, peculiaris exoritur, compo-

O ſitus

ſitus ex motu tardiſſimo circulationis ſanguinis, ex motu violentiſſimo languentium, ſtimulatorumque vaſorum, atque ex motu inteſtino, & putredinoſo maſſæ communis. Ab his autem unitis motibus volatilior, ac tenujor exprimitur ex univerſa putredine portio, miaſma nempe malignum, & contagioſum, idque vitioſa, ac ſymptomatica perſpiratione cietur. Quantum vero valeant mutati, & diverſi motus vaſorum, progreſſionis ſauguinis, atque inteſtinæ ejuſdem agitationis, ad commutandam, invertendamque, etiam antea ſanam, ſanguineam maſſam, patet ex ſudore fœtido, quem notat Celſus, corde vulnerato, prorumpente, Medic. lib. 5. cap. 26. num. 8. *de ſignis percuſſi Cordis*.

Multi multa loquuntur de miaſmatibus, deque damno ab iiſdem allato, ſaniores quidem Scriptores tenent, miaſmata ſpiritus afficere, ſed non bene explicare videntur hanc affectionem. Alii ocultam qualitatem accuſant, quod idem eſt, ac neſcire. Alii nimium generaliter miaſma nuncupant venenum, ſed venena diverſas ab hiſce deſcriptis febres mali moris pariunt, prout ex utrarunque ſymptomatis liquet. Poſt hos alii ſunt, qui eandem ſententiam, ſed peculiari modo ſectantur, ac plures acria, quidam acida miaſmata putant, eaque acri, aut acida vi agere, opinantur. Veruntamen hæc quoque, quando ſummopere nocent, alia ſenſibiliora mala inferunt; immanes ventris torſiones, lypothimias, evacuationeſve enormes, crudeliores convulſiones, viſcerum eroſiones, inflationes diras, mortemque citiorem. Nos ex ſolidis animadverſionibus hæc inferimus: Jam notum eſt, acceptumque, ad ſpiritus animales conficiendos & partem puriorem ſanguinis, tenujorem, ac volatiliorem, quæ vitalis ſpiritus dicitur, & aerem ſimul concurrere, ex quo potiſſima illorum vis pendet; ſerenis enim diebus, aereque puriore perflatis, majorem agilitatem, & promptitudinem motus animalis, facilioremque mentis diſcurſum, indeque hilariorem tranquillum ſenſum quendam in nobis met-

ipsis experimur (unde Hipp. de morb. sacr. *aerem ad sapientiam, & motum conferre*, docet) quam diebus opacis; quinimmo pluviosis, ac nebulosis temporibus torpore, seu socordia quadam & corporis, & Animi cum molestia, & tristitia afficimur. Tantum potest in nobis dicta de causa aer, ut is in quibusdam regionibus, multis, crassis, cœnosis, palustribus exhalationibus densus, & inquinatus endemias febres non raro malignas producat, atque advenis statim easdem incutiat; quia nempe ex aere tali spiritus generantur pauci, hebetes, admodumque torpentes, qui solidum, etiam ab eodem aere atonicum, male movendo, digestionibus, secretionibusque servandis impar reddunt. Quamobrem eo magis febribus hisce malignis progignendis aptus erit aer scatens tetro miasmate, quod ab sanguine, & chylo simul putrescentibus, tanquam spiritus quidam putredinis, violenter secretum est, quodque ideo est quid summe corruptum, ac morticinum, volatile quidem, quia ex ægri sanguinea massa, cum aere rarefacto, per pulmones, & cutem erumpit, quemadmodum crudus mortuus lignorum humor, ab ignis calore in extraneum motum concitatus cum aere rarefacto e lignis iisdem secedit, atque in fumum avolat; ita ex Sanctorio in static. de ponderat. Aph. 75. & 77. *Perspirabile habet duas partes; levem scilicet, & ponderosam. A parte perspirationis ponderosioris contagiosæ infectiones una cubantium proveniunt; leve enim avolat, ponderosum vero adhærens coinquinat.* Idque itidem miasma, ab aere delatum, eique penetratum, in alios & per inspirationem, & per cutaneos poros, & præsertim per salivam descendentem, transit, inque illorum sanguinem ingreditur, atque cum tenuissimis particulis, ac volatilibus sanguinis, jure quodam similitudinis, commiscetur; unitis vero corruptis, morticinis miasmatibus cum spiritibus vitalibus, torpescere incipit horum motus, a quo sanitas eorundem conservatur, deinde

ſimul paulatim tabeſiunt, morticinis, & corruptis admixtis particulis, agilitatem ſubtiliſſimorum atomorum, ſpiritus componentium, impedientibus, & complicantibus, compagemque ſic relaxantibus, ac deſtruentibus, quemadmodum a fummo flamma ſenſim debilitatur, extinguiturque; hinc perniciofiſſimi ſunt halitus apertorum ſepulcrorum, quia ab cadaverum fermentatione, & putredine, morticina corrupta miaſmata diffunduntur; & præ cœteris morbis, malignis febribus ex Rammazzino de morb. Art. de Veſp. Mor. obnoxii ſunt illi, qui in ſepulcris cadavera ſepellientes frequenter verſantur.

Miaſma igitur afficit vitales ſpiritus, ac deſtruit, deſtructis ſpiritibus vitalibus ſecundum magnam partem (haud enim omnes vitales ſpiritus concidunt, niſi interdum in efſera Peſte) ſpiritus animales multo parcius regenerantur, hinc maſſa communis, jacentibus etiam ſpiritibus vitalibus, inertior, quam antea, ab vaſis propter inopiam ſpirituum languentibus minus movetur, ac territur, unde ſtatim chylus cum ſanguine circulans, neque tritus, neque ſubactus crudeſcit, circulumque ſanguinis retardando, vaſa premit, inſigniterque diſtendit, unde ſtimulus diſtenſionis in vaſis univerſis, febreſque naſcuntur, quæ in malignis ipſis, epidemicis, contagioſiſque conſtitutionibus omnes quidem ex chylo ſunt, multæque malignæ, veruntamen non omnes, quemadmodum obſervavi, ſed pro aliis cauſis procactarticis, aliiſque diſpoſitionibus, diverſi ſunt febrium characteres. In cauſa pravi chyli communi plures homines impuro chylo ponderoſum ſanguinem, ſpirituſque vitales, animaleſque jam cacochymia affectos, vitiatos, indeque ſemivivos gerunt; nam paſſim tradidimus ab impuro, crudoque chylo contaminato ſanguine paucos ſuppeditari ſpiritus, imperfectos, hebetes, languidos, ægroſque, quia cruditatem ſanguinis primi ſentiunt ſpiritus; quapropter ægrotantes ſpi-

ritus,

ritus, & a solo ferme bono aere vitam habentes, addito, pro bono, infecto aere, & miasmate adacto, facillime, & citissime exsolvuntur, non secus, ac si ægro jam languenti homini, pro refectione, & levamine, Mezentii more aptes cadaver; unde in maligna constitutione facillima, ac citissima dissemination contagii; nam miasmatis accessio causas numero auget procatarticas, atque efficientem intendit, sicque frequentes sunt in causis variis, universalibus, & maligna constitutione epidemica febres vere malignæ. Facillime omnium contagium capiunt homines cruditate laborantes, videlicet viventes inordinate, maleque dispositi, quia jam ægri in illis spiritus, & massa sanguinea impuritate gravis, debilitatis etiam a contagione epidemico viribus, quæ illam quomodocunque trahebant, statim permagni fit oneris, ac fere etiam acutioris stimuli (quia mala vitæ ratio cuditatem generis cujuscunque, diversæque indolis, ideoque etiam per se pungentem, atque adeo tumultuantem conglomerat) malignæque febres adoriuntur. Mediocria quædam temperamenta, seu media, accepto contagio, aliquot dies impune degere videntur, verum, antequam finiatur constitutio, maligna decumbunt febre: capto contagio, concidere vires, satis constat ex supra allatis, tum imminui secretiones, magnamque cruditatis copiam paulatim accumulari, quæ si ex dissimilibus facta sit, in dies magis, enormiterque Naturam gravat simul, ac intime irritat, atque ipsa constitutione putredini favente, malignitatem plerunque in febres accersit. Robustissimi, ac sanissimi quidam, quive secretionibus seu naturalibus, seu artificialibus aptis, & perennibus emundantur, in epidemia, & contagio, vel levi ægrotant febre, vel incolumes degunt; robustissimos enim hominum raro, vixque lædunt causæ communes, quæ alios premunt, & siquando ab miasmatibus, aeri communicatis, pars spirituum ipsis vitiatur, haud statim succumbit, ac deci-

decidit, quum hi ſpiritus ex unica tantummodo parte laborent, nempe ex miaſmate adjuncto; non ſtatim, inquam, pereunt, ſed adhuc moventur in ſanguine, ſuiſque muneribus, cum ſociis quoquo modo funguntur, nimirum ſanguinem ſatis movent, miſcent, mutant, vivificant, ita ut interim alii reparentur vitales ſpiritus (ſiquidem deleteria epidemica aerem aſſidue, æqualiterque non occupant, & per conſequens haud ſemper ſimiliter inficiunt; aer enim ventis non raro immutatur, nec ſemper eodem gradu tetra urget conſtitutio, ipſaque Peſtis, notante Sydenham de feb. peſt. & peſt. nec non de dyſenter. ann. 1669. 1670. &c. initio atrocior eſt, quam ubi morbus adoleverit, monetque idem conſtitutionum morboſarum obſervator egregius, quoſdam epidemicos morbos graviſſimos, & principes non aſſidue, ſed alterne ſævire; ſic ſancitum eſt a Deo Optimo Maximo, qui *eos, qui exerrant, partibus corripit, dans locum pœnitentiæ*, quemadmodum habemus in Sacris Litteris, Sapient. cap. 12. & videre eſt in epidemiis nunc multos ægros, & multa funera, nunc paucos, minuſque ægrotantes, ac vix ullos emori) in ſpiritus animales evaſuri, per ſecretionem in cerebro, ſuaſque functiones ſtrenue perfecturi; damnoſum autem morticinum inficiens, a ſanguine cœteroquin puro, vividoque tandem circulatione diſcuſſum, vel per puſtulas, vel alio modo eliminatur; quod ſiqua ex contagione, atque ab alia cauſa recens ſubrepat ſimplex cruditas, tanta in his non congregatur, ut putredinem inferre valeat, ſed per febrem in alacri corpore propere excitatam concoquitur, & ab Natura feliciter expurgatur: Quibus autem, in ipſa epidemia contagioſa, evacuatio aliqua viget, chyloſa cruditas ante eliminatur, quam ſanguinem adeo contaminet, ut maligne putreſcat, & corrumpatur. Tum pro diverſo in febribus regimine, aliiſque contingentibus, conſumatur, vel non conſumatur contagium; ſic nonnulli ex ſobriis, qui

hiſce

hiſce febribus correpti ſtatim evacuationes, & diætam, eiſdem febribus convenientes adhibent, neque ab initio ſudoribus vires perdunt, morbo validiori, in ſtatu, ſeſe oppoſituras, ut plurimum ſolent experiri febres aut mitiores, aut non malignas. Subjunximus: pro aliis fortuitis contingentibus, in eiſdem febribus, enatis; etenim quibus etiam vehementer, periculoſeque febricitantibus tumores oedematoſis ſimiles, præſertim poſt ſufficientem detractionem ſanguinis, aut copioſam hemorrhagiam, in artubus cito, paulatimque oboriuntur, ab maſſa ſanguinea pleraque cruditate, rectæ circuitionis obice, & tumultus, & putredinis potiſſima cauſa, remota, foraſque translata, malignitas non ingruit, aut ſaltem parcior, nec aliis æqualis, etiamſi maligna conſtitutio adſit, atque contagium; ſiquidem ex Sanctorio de Peſte: *res* ipſa *peſte infectæ inficiunt, quouſque durant proximæ, & remotæ cauſæ, unica tamen deficiente, ceſſat virus, ad inſtar motus horologii, dum rotarum unico irrito dente, quieſcit.*

Et vice verſa in optimis conſtitutionibus, omnique contagio vacantibus, quotieſcunque non communes, ſed peculiares alicui homini, domuive cauſæ procactarticæ, cujuſmodi eſſe ſolent: mala, immo varie prava alimentorum materia, vinolentia, mœrores graves, diuturni, aliiſque diris pathematibus confuſi, callidior, immutatuſque aer conclavium ſubterraneorum, ſordidorum, & cœteræ ſimiles conveniunt, atque internam ex ſe cruditatem progenerant, Febres malignæ ſporadicæ fiunt, quæ miaſmata emittunt. Ubi enim, abſque accepto contagio, æquilibrium virium cum pondere varie deprimitur ab dictis, & circuitio ſanguinis ſummopere retardatur tum ab excedente multiplici cruditate reſiſtente, ac inter ſe tumultuante, tum a motu vaſorum nimium accelerato, perturbatoque, propter inſignis diſtenſionis ſenſum, id ſatis eſt ad hoc, ut pene ſtrangulata ſanguinis circulatione, vaſa maxime ſtimulentur ſimul,

atque

atque opprimantur, & magis inteſtinus motus impuriſſimæ maſſæ, quam progreſſivus exerceatur, ſicque ſanguinea maſſa, abſque accepto maligno ſeminio, maligna putredine alteretur (potiſſimum in febrilibus exacerbationibus, in quibus & maxima fluidi talis reſiſtentia, & difficillimus rectus curſus, & vehementiſſimus a diſtenſione dolor, vaſorumque labor, ac motus, atque diſſimilium partium confuſio, perturbatio, pugna, diſſolutio ſummopere vigent) detrudanturque conatu perquam violento, per multa lynphatica arterioſa particulæ maſſæ communis, incipiente putredine ſolutæ; unde peticulæ, & per alia eorundem exalent miaſmatica corruptionis effluvia, unde contagii periculum. Hæc autem miaſmata agunt in quædam corpora male diſpoſita, ſeu ſimiliter cacochyma, ſiqua ſint, illius familiæ, ea præſertim, quæ diutius ægro aſſiderunt; nanque talis adſtantium ſanguinea maſſa ob diſcordem varii chyli cruditatem ægre repens, magis languente vaſorum vi ob labem ſpiritibus ab contagione impreſſam, citiſſime a recto motu deficere incipit, hinc admodum tarde ex tali ſanguine, talique adhuc ſegniori progreſſione alii regenerantur ſpiritus impoſterum, dum major eſt & ab incepta febre, & a quotidiano advecto chylo, ſemperque incocto, retardatio; quare Natura ab inſtantis ſuffocationis tumultu, ex oppreſſis, ſummeque irritatis vaſis, fatiſcente, perturbante, vehementiſſimeque urgente maſſa communi, ſuſcitata ſupradicto modo inducit malignitatem. Sunt fere alieni immunes, etiamſi ægrum, paulisper viſunt, quia ſcilicet, ut ſupra vidimus, ad malignas febres procreandas haud una cauſa ſufficit, ſed plurium, diverſarumque procactarticarum cauſarum unio, earundemque intenſio requiritur. Hominibus, qui prævia fluidi communis cruditate, ſpirituumque impura infirmitate minime laborant, vegeta ſanguinea maſſa ſpiritus in ægri vicinia fortaſſe paulum affectos novis, fortibuſ-

que

que cito suplet, & fulcit, antequam concidat æquilibrium, & morbosum ullum principium invalescat; ita ex Syncope quidam cacochymi in graves chylosas febres incidunt, sani autem vix quidquam aliud ex accidentali syncope capiunt detrimentum; Quæ omnia argumenta sunt, malignitatem non immediate dependere a miasmate, & contagione, tanquam a semine, sed magis pendere ab assignata cruditate chyli, in sanguine existentis.

Sic explicata phænomena contagii, & contagiosarum constitutionum epidemicarum, & Febrium intercurrentium Malignarum; restat igitur, ut Malignarum salubrium, & læthalium, per eadem principia, rationem ponamus.

Exitus pariter harum Malignarum Febrium bonus, aut malus ab causarum procatarticarum earundem minore, vel majore numero, & quantitate, atque exinde a causæ efficientis, ac proximæ minore, vel majore intensione proficiscitur, unde Natura per malignitatem vincere possit, aut non possit resistentiam.

Ubi igitur in hoc morbo viget Natura, hæc in sanguineæ massæ semper tardius circumeuntis resistentiam, irritatione (dum cum sanguinis tarditate crescit causa efficiens) in dies aucta, paulatim insurgit frequentiore pulsu; quo motus intrinsecus particularum communis, in se variæ massæ, atque inter ipsas concursus magis inditur, ac incitatur, quam recta circuitio, unde in dies etiam major rarefactio accersitur; hinc gradatim exquisitior fit intimus dolor vasorum, atque in morbi statu ad violentissimum impulsum adducitur onere tanto, tantaque vasorum distractione afflicta, coacta Natura. Et in hoc violentissimo conatu & peticulæ, & miasmata exprimuntur, simulque causa efficiens, hoc eodem Naturæ impetu minor (tum quia non languet Natura, tum quia ipse motus intestinus, quamvis symptomaticus, & putredinosus, non parum huic rei con-

ducit, ſanguinem ſolvendo, & ſic eum rectæ propulſioni minus obſtinatum reddendo) vinci, ac ſuperari incipit, & circuitio ſanguinis promoveri; ſicuti in paroxyſmo epileptico eſſentiali, atque humorali, vivide irritatis nervis, tumor, rubor, livor, in cute faciei apparent, & ſpuma ex ore, flatus inferne &c. ſymptomatice, atque involuntarie expelluntur, ſimulque eo niſu removetur, deſtruiturque, ſaltem pro ea vice, intima cauſa efficiens epileptici paroxyſmi, materia nimirum occupans cerebrum, ſeu nervorum principia, & rectum ſpirituum iter impediens. Sanguinis vero circulatione ab irritatæ ſuperantis Naturæ conatu, in dies melius directa, decreſcit ſimul cauſa putredinoſi motus in maſſa, atque expulſionis ad cutem, & pro his reſtituuntur, ſenſimque augentur (ſeſe in tonum recipientibus fibris, nimis antea relaxatis, & pro ſymptomatica intrinſeca ſolutione ſanguinis, bonam attenuationem per rectum cirucitum, & diſtributionem humorum Natura inchoante) primum eæ ſecretiones, quæ minore opus habent circuitionis ſanguinis celeritate, videlicet ſenſibiles, & craſſiores alvi, & urinæ, quæ talem impuram maſſam ſanguineam omnium optime purgare poſſunt, atque ad rudi, putrido chylo liberare; hinc ſecundum maximam partem detracta reſiſtentiæ cauſa, ſecretiones cœteræ quoque eriguntur, melioribuſque ſeparatis ſpiritibus refici incipit, & recreari Natura, functionibuſque ſuis rite proſpicere: recentem chylum bene præparare, concoquere, conquaſſare, in ſanguinemque convertere, ſimulque digerere, ſegregare, atque excernere morboſas veteris, putrefacti reliquias, donec integre expurgato ſanguine, ſalus tandem confirmetur.

Contra vero ubi cauſa major eſt, quam ab Natura in morbi ſtadio ſuperari queat, quando nempe impura ſanguinis maſſa magis reſiſtit, quam ab illius corporis viribus, per ipſam etiam putrefactionem, corrigi poſſit, atque domari;

mari; pulſus initio morbi vel nimis frequens ſit (ſive id ab irritatione chyloſæ cruditatis nimium vaſa diſtrahentis ſimul, atque pungentis, ſive id ab clonica cordis, vaſorumque diſtentorum, particulariter ſenſibilium facili convulſione procedat) vel nimis, inquam, frequens eſt pulſus, & parvus, vel languidus, & febrili rarior, naturali ſimilis, vel de utroque participans, nempe inæqualis; iſtiuſmodi enim ſolent eſſe pulſus, ubi ſupra Naturæ facultatem eſt morbus. Si pulſus nimis frequens, & parvus ſit, circuitionem jam tardam lenti ſanguinis reddit tardiorem, minus temporis ſpatium, anguſtioremque locum ſanguini concedens ægre commeanti. Si nimis tardus ſit, & febrili rarior, debiliorque, circuitio profecto languet, ſed quoquo modo aliquandiu protrahitur, licet ſanguinis tantum repentis, ab vaſis tenuiter conquaſſati morboſa lenta craſi in pejus labente, viribuſque ſenſim imminutis, paulatim decreſcat. Si tandem utroque exceſſu peccet, ſitque inæqualis, varius, intermittens, circuitionem ſemper magis retardat, quia modo nimis frequenter vaſa moventur, unde ingreſſus craſſo, & viſcido ſanguini in cordis ventriculos difficilior, modo debito amplius quieſcunt, neque ſanguinem exprimunt; ſic tarde ingredienti, tardeque exeunti perpetuo ſegnior circuitio, atque in hac pulſuum varietate frequentes eſſe ſolent orgaſmi in maſſa communi. Quamobrem unuſquiſque horum perquam vitioſorum pulſuum, cum deſcripto ſanguinis ſtatu, prava potiſſimum conſtitutione conſpirante, eo pene anguſtiarum circuitionem ſanguinis adducit, ut amplius progredi nequeat, ſimulque dilatata vaſa extra ſpheram activitatis jam jam pellantur; At Natura (quæ jam, creſcente cum morbo vaſorum diſtenſione, eorundem motum auxit in caſſum, atque adeo in damnum circulationis, quod patet ex iis, quæ alibi, ac modo etiam tradidi) majore, ac quanta poteſt vi ſpirituum paucorum quidem, ægrorumque, ſed ma-

guo impetu descendentium, maximo periculo, dolorique occurrere frequentiore adhuc, & violentiore cordis, arteriarumque systole satagit, præcipue in accessione, seu exacerbatione febrili, verum frustra, atque in malum, quemadmodum dictum; nam potius in lateralia lynphatica arteriosa sanguineæ, difficillime recta progredientis, massæ ab universali coagulo per fermentationem, seu putredinem incipientem solutæ particulæ truduntur, peticulas pravi, flavo-rufi, seu eruginosi coloris, ubi ad cutem venerunt, constituentes, & plurimo chylo putrescente refertam massam sanguineam demonstrantes, eodemque Naturæ nisu intestinus, putredinosus motus, exortus ab aucta pulsus frequentia, & celeritate, atque a tardiore hinc facta circulatione, sed præsertim ab diversarum cruditatum conflictu, crescit in sanguine, intenditurque, & inde contagiosum miasma generatur; veruntamen ab illo irritatæ, ac perculsæ Naturæ conamine morbosa causa, vires propellentes vincens, quum nil melius regatur, immo ab intestino perturbatiore putredinoso motu cum sanguine magis, magisque confundatur, cum eoque mixta, & computrescens symptomatice potius in lynphatica explodatur, quam ad conferentia secretoria feratur, a sanguine nulla crisi separatur; sed fere omnis in eo remanet, ampliusque corrumpitur simul humor uterque. In frustaneo tamen eodem Naturæ impetu, ipso stimulo distractionis amplius perseverante, ab irritatorum vasorum tumultu, & ab intensiore motu putredinoso simptomatice attenuata, mixta, in diesque magis ressoluta in accessionibus massa communis adhuc quoquo modo circuit, sic vita, quamvis vacillans, protrahitur diutius, addita hac corruptione, quam nisi foret adjecta. Cum porro eadem restitet in sanguine morbosa cruditas, cumque pro inæqualitate ejusdem cruditatis, massæ communis, circulationis, & denique febris, quæ modo augetur, modo remittitur, inæqualitas sit in

ipsa

ipſa putredine (nam in putredine æquata, & conſumata non ſupereſt vita) craſſamenta uniuntur in febrilibus remiſſionibus, ad anguſtoſque fines arteriarum congregantur, atque orgaſmos adhuc, acceſſiones, exacerbationeſve funeſtiores pariunt, in illiſque ſingulis irritatur Natura ad conatum, & ad expulſionem, quæ cum ſemper minor ſit morbificæ cauſæ quantitate, ac vi, non tam rectum, quam confuſum, perturbatumque, ac reciprocum in partes maſſæ communis (unde putredinis deterioris perennis occaſio) obliquum, & in latera vaſorum, ſanguinis momentum promovet, ac repetit, ex quo ſemper nova peticularum turpiorum apparitio, quarum ipſe color, in dies pejor, denſior, obſcurior, creſcenſque magnitudo, numeruſque abundantior palam oſtendunt, cauſam efficientem viribus moventibus, & circuitum ſanguinis dirigere fruſtra conantibus ſuperiorem eſſe, cum facilius in anguſta vaſa lynphatica lateralia ſanguineæ maſſæ etiam craſſiores partes intrudantur, quam proſequantur rectum iter per arterias ſanguiducas, ex iiſque in ſuas venas; Interdum in iſtis Naturæ conatibus adeo præpollet indomita cauſa, ut vitiatarum, in expreſſione adinvicem compactarum, ſanguinearum partium thrombi ab communi maſſa per vaſcula lynphatica ad cutem explodantur, ubi uniti, atque intercepti ab ſtrangulatis vaſis, colorem tetriorem, ac nigrum acquirunt, & ita puſtulæ nigræ, aut carbunculi naſcuntur. Sic quum partim per vanas iſtas Naturæ contentiones, vires ſemper in deterius ruant, partim per expreſſos ſudores imminuto, partim in miaſmata exhalato liquidiore ſanguine, qui ſpiritus quoquo modo ſubminiſtrabat, & ſymptomaticam fulciebat reliquæ maſſæ ſolutionem, corque, ac vaſa in horas languidius, exiliuſque moveantur, indeque corruptus, ac pene quieſcens ſanguis reſſiduus fiat inertiſſimus, penitus immobili facta reſſiſtentia, circuitio ſanguinis ejuſdem demum intercipi-

pi-

pitur, & mors malignæ ægritudini finem imponit, nisi ante in orgasmis Natura succumbat.

Diximus, febres acutas graviores in malignas interdum evadere, & postea tradidimus, febres ex chylo perniciosissimas, ac malignas a diversis procatarcticis causis conflari. Quando igitur procatarcticis causis, acutas istas simpliciter constituentibus, aliæ insuper non gravissimæ, Naturamque consopientes, sed potius variæ, dissimiles, turbasque suscitantes accedunt, tunc acutæ graviores in malignas facessunt. Hæc causarum differentia in malignis, seu pestilentibus febribus comprobari potest per observationes Hipp. lib. 3. de morb. popul. section. 3. ubi notat, pestilentes febres grassatas esse post diversas temporum mutationes, quæ mediante aere ambiente, sanguinemque ingrediente diversimode corpus afficiunt; adnotatur ibidem transitus anni ab excessivo squallore ad excessivum humidum, atque in ipso anno vices temporum, varietas, ac diversitas, Austro tamen superante. Variam pariter constitutionis indolem ostendit morborum, tunc occupantium dissimilitudo, seu multitudo diversarum eorundem specierum; sed omnium maxime causarum in iisdem corporibus differentiam, aperteque demonstravit *fluxio* abscessuum pestiferorum *collecta non puri similis, sed alia quædam putredo, & fluxio multa, & varia*. Quid quod varia ipsa alvi excretio pestifera a Celso reputatur, medic. lib. 2. cap. 6? *Alvus quoque varia*, inquit, *pestifera, & quæ strigmentum, sanguinem, bilem, viride aliquod, modo diversis temporibus, mod simul, & in mixtura quadam, discreta tamen representat*. d malignas itaque, pestilentesque febres efficiendas opus e usis vasa omnia multum, diuque, licet vage obstruentibus, & causis itidem validis, quæ stimulum universalem, oppressioni æqualem, aut quasi æqualem inducant, quæque tumultum distinctum, enormem, ac perseverantem commotionem, perturbationemque faciant. Quamobrem

obrem quædam ex iſtis acutis gravioribus inæqualibus, quæ lene, ac fallax initium habent, cum pulſu naturali ſimili, aut rariore, addita aliqua cauſa, quæ ſimul contractionem vaſorum ſollicitet, & cruditatem ſolvat, inque motum perturbatum concitet, abſque hujus idonea evacuatione, in malignas tranſeunt, per ſe fere læthales; Excitata enim a rarefactione, atque a ſtimulo tumultuatio, & confuſio parta, non deſtruunt reſiſtentiam craſſiſſimam, & viſcidiſſimam, immo acceſſionum orgaſmos augent; hinc circulatio tardiſſima pene extreme diſtendit vaſa, doloremque etiam incutit; quare poſt peſſima ſymptomata, quæ ab lentiſſimo, quaſique ſtrangulato ſanguinis circuitu, ab nova irritatione vaſorum, ab ſuccumbentis Naturæ niſu, & ab fermentatione, ſeu incipiente putredine exorta ſunt, quando Natura primum poteſt, ſuperſtitem, tenuem ſpirituum cohortem in conatus ultimos cordis, atque arteriarum totam impendit; & quum reſiſtentiam inſidioſe ad immane, deindeque ad ſupremum difficultatis pondus adauctam, repentino impetu vincere nequeat, perturbatio fit major, & orgaſmus fortiſſimus in ſanguine, motibus frequentioribus cordis urgentis conquaſſato, impulſo, atque intra arterias coacervato, putredo intenditur, & miaſmata generantur; quapropter ſpiritibus reliquis ad cor, arteriaſque concurrentibus, jam derelicto, ac relaxato habitus tono, minuſque reſiſtente, quam orgaſmus, ſeu circuitionis adhuc major, ſumma, atque exiguis viribus invincibilis difficultas, ab extremo conamine & expulſio obliqua ad lateralia, ad cutem tandem fit, & ſpirituum integra conſumptio; Sic in mortis articulo expelluntur & teterrimæ exhalationes, & lividæ, ſeu violaceæ peticulæ abundantes, aut maculæ ſimiles, hic illic corporis ſuperficiem occupantes. Hæc tamen ſymptomata magis exeruntur, ſi phlebotomia oneris partem detraxerit. Aliquando in harum graviorum graviſſimis, pri-

mæ

mæ tantum evacuationes institutæ, & callida exinde volatilia adhibita, iisque curatio omnis reliqua commissa gravitatem, etiam insignem, morbi in malignitatem commutare solent.

Veruntamen diversis, remediisque ullis non turbatæ Febres inæquales hujusmodi, lene, ac fallax principium habentes (quæ videlicet cum pulsu sunt rariore, quam pulsus aliarum omnium febrium, & tardiore) gravitate, & nece, plerunque citiore, ipsis malignis antecellunt, quia multæ in iis, omnesque gravantes, sensumque vasorum hebetantes causæ ptocactarticæ uniuntur, vel una causa procactartica, nimirum pinguis, crassa, viscidissima, multa materia, jam preparatum corpus replens, aliorum effectuum eodem collimantium, ad pondus nempe, stupiditatem, atque hebetudinem una facientium parens est, veluti ex suo loco dictis constat. Ex quibus stupor, anxietas, angor, indeque mors, circa septimum, nonum, undecimumve, ingruit, intercepta penitus circulatione ab gravissimo morbo, eo quod neque symptomatice agere valet semisopita, ac vincta Natura, & (nullatenus intestino motu antea attenuata massa, quemadmodum a putredine demoliente, tum quia defuit diversitas causarum procactarticarum, istiusmodi fermentationis, & putredinis ansa, tum quia obtusus fuit pene semper vasorum sensus, & rarior, tardiorque per consequens pulsus) per nefas, scilicet per malignitatem, vitam protrahere; Et si tunc temporis contingat interritus, hæ febres malignæ nondum sunt, sed mere inflammatoriæ; suffocatio enim circulationis massæ communis densissimæ, & lentissimæ, inflammatio consumata extrema, & mors partium inflammatarum, sunt unum, & idem. Malignitas autem est ab imminente suffocatione violenta, desperata, dubia subtractio, veluti siquis reus laqueum vitare studeat, ancipiti, sibique, ac

ac fociis periculofo conatu carcerem diruendo, ac fubvertendo.

Æquales contra, callidiorefque ad malignitatem aliquando evehi poffe, præfertim in conftitutione maligna, additis caufis incraffantibus, deducitur ex præmiffis.

Febrium harum conditiones fuperiores phyfice expofuimus, eas nimirum, quæ in Acutarum funt numero, fupereft igitur, ut Chronicas, ac diuturnas (omiffis Periodicis, quarum ratio, & phænomena facile ex dictis elucefcunt) continuas fcrutemur, Hyppocondriacarum videlicet, Hyftericarumve, tum Hæcticarum generationem, indolem, metrum, & fymptomata itidem exploremus.

A prima ergo Specie incipiendo, quæ nequior, quæque hyppocondriaca in maribus, in fœminis hyfterica vocitari confuevit, inquit Duretus in epilepticis (non pauca autem affinitas inter Epilepfiam, & Hyftericam Affectionem, aut Hyppocondriacam, neque exigua inter quædam utriufque morbi fymptomata fimilitudo) multum languere ventriculum & inteftina, atque reffolvi; quod ideo fieri poteft, quia fpiritus animales five corpus univerfum convellendo, vifcera quoque ifta mulctant, torquent, ita ut ea poftea male fe habeant, ac inepta languefcant, five quia ipfi eandem deferunt naturalem regionem. Veruntamen horum vifcerum apto ufui non modo languor a fpafmis præmiffis, & reffolutio obeft ab alienatione fpirituum, fed & ipfæ fortiores, violentæque contractiones, etiam dum exercentur, magnopere nocent. In hyppocondriacis, hyftericifque fpiritus animales, præ imbecillitate, levique textura, quolibet dato impulfu, fæpe præcipitant plurimi quo ex œconomia, naturalique lege non deberent, pariterque earum regionum, quas violenter petunt, opera perturbant, & qui remanent minus fufficiunt functionibus partium, quibus fuiffet ipfis inferviendum. Itaque cuum ad vifcera digerentia primarum viarum nimii defiliunt,

Q liunt,

liunt, illis atroces afferunt dolores, contractiones, convulsiones, unde neque motus periſtalticus, concoctioni neceſſarius recte peragitur, neque boni ſucci e glandulis ſeparantur, neque inutilia excrementa rite excernuntur, hinc chylus crudus ſimul, & impurus ad ſanguinem migrat: quando ad alia membra pars maxima ſpirituum declinat, minima, exiliſque portio ad ventriculum, tubumque inteſtinalem pergit, atque debilia hæc viſcera per conſequens chylo elaborando deficiant, oportet. Horum argumenta ſunt flatus nidoroſi, & ructus acidi in iſtiuſmodi ægrotantibus, quos magnus obſervat Sydenham: *quin & omnibus tam hyſtericis, quam hyppocondriacis, quibus ſcilicet jam malum inolevit, id accidit, ut flatus quandoque nidoroſos e ventriculo emittant, quoties aliquid comederint, licet moderate tantum, & pro ratione appetitus; tum etiam aliquando acidum eructent &c. læſa nempe utrobique concoctione, & ſuccis proinde a naturali ſtatu interverſis*. Sic prima digeſtio vitiatur.

Porro in debilibus hiſce temperamentis, quemadmodum antea innuimus, naſcuntur hæ febres aut poſt præcipitem caſum, aut ſuperveniunt doloribus exceſſivis, aut perturbationibus ſummis, ſpiritibus, ut vitioſe conſtructis ita facili negotio diſſipabilibus, repente profligatis, unde cor, & arteriæ fruſtrantur vi neceſſaria ad bene movendum, atterrendumque ſanguinem, & chylum, hinc ingruit craſſities, & viſciditas in maſſam communem, unde impotentia adhuc major ad concoquendum, digerendum, recteque aſſimilandum. Indeque cum prima concoctione, ſecunda quoque deficit.

Inſuper a ſpirituum etiam inordinatione, univerſo turbato metro in ſolidi motu (præterquamquod, parta jam in ſanguine cruditate, etiam ex parte maſſæ communis ob qualitatem, & quantitatem, molemve partium morboſarum variæ in ſeipſa, ac differentis, affectatur curſus iniquitas

con-

confunditur ordo in circulo ejuſdem maſſæ, & mixtura turbatur; quare craſſamenta quodammodo ſegregantur a reliquarum particularum populo, ſimulque congregata movent acceſſiones febriles, & jam natas mirifice, repenteque intendunt, ſanguinis rectum curſum reprimendo, ad quod & convulſiones vaſorum maxime faciunt, ex influxu ſpirituum nimio, ac peculiari in partes, unde illæ per quædam temporis ſpatia corrugantur, quaſique connivent. Et hæc cauſa inæqualitatem augens in maſſa, cruditatem congregans ad febrem excitandam, atque exacuendam, proxime diſponit.

Quemadmodum vero in hiſce ægrotantibus modo in hanc, modo in illam ſubjectarum partium turbo ſpirituum deſcendit, atque debaccatur, ac fere per quaſdam veluti periodos, ſive per vices, affectus iſti irregulariter, inſtabiliterque inſurgunt; cum vitiati, pravique ſpiritus animales, quaſi degeneres, ſine lege, & fortuito ſæpe ferri ſoleant; ita fortuita ſpirituum æquitate facta, remittuntur criſpaturæ vaſorum, ac violentæ oſcillationes, in ipſa etiam acceſſione febrili, & ſanguinea maſſa blande mota tempore gaudet idoneo ad fines vaſotum commode peragrandos, æquior fit partium quarumcunque mixtura. Sic orgaſmi repente quieſcunt. Id aliquando ſane evenit temere, ac ſine ratione: ſic talorum luſoriorum projectio, & ſortitio modo hunc, modo illum numerum, modo imparem exhibet, modo parem; aliquando tamen amicorum quorundam, inter alios acceptiſſimorum, grata colloquia, quibus mens delectatur, oblivionem ideo mali adferentia, id præſtant, ſpiritus nimirum revocando, recreando, componendo, qui ſuaviter moti ſuavi ordine aliquantiſper reſpondent, donec incidat aut intra, aut extra facillimum irritamen.

Quapropter hæc Febrium ſpecies duplex habet fundamentum, utrunque vagum: alterum in maſſæ ſanguineæ

inæquali crasi, & turbata circulatione, ob notatam chyli cruditatem, alterum in spirituum animalium speciatim instabili, inconstanteque indole, & inordinato influxu situm. Vicissitudo porro est, & reciprocum vitium utrunque; siquidem ab sanguine inæquali inæquales spiritus, eorumque inæqualis generatio, & vis; ab spirituum autem influxu irregulari, & iniquo irregularis, inæqualisque & motus sanguinis, & crasis, unde febres hæ diuturnæ, ac perennes.

Symptomata itaque habent simul chyli cruditatem, & cacochymiam in sanguine sequentia: molestissimam inappetentiam, linguam farinosam, viscidam, non raro & sordidam; os insuave, ingratum; halitum maleolentem, & fœdum, veluti incocti alimenti, acidum fœtidum; capitis persistentem dolorem gravativum, & vertiginosum; augmentum accessionale vespertinum a prandio, & nocturnum a cœna; urinam sæpius naturalem, & crassam &c.

Et symptomata possident, quæ sunt spirituum præcipue, nervorumque affectiones, quemadmodum sunt repentini dolores alicujus regionis, aut membri, nonnunquam atrocissimi, atque incredibiles; tensiones, spasmi, convulsiones, etsi chronica sit febris, palpitationes; torpores partium, ac stupiditates inconstantes; urina nonnunquam alba cruda, aut clara, & chrystallina, atque alii inconcinni excessus, ac symptomata mirabilia, sensibiliora in dictis lunæ aspectibus detrimenta.

Ab utroque vero fundamento procedunt, veluti tertia, de utroque participantia symptomata, scilicet virium cum anxietate insignes prostrationes, interdum ingruentes, febre etiam modica, & remissa apparente, ac totius extrema gravitas; siquidem hyppocondriacis, hystericisque semper sunt infirmi, ac semianimes spiritus, maxime autem in febribus, talesque spiritus facillime prosternuntur, dissipanturque sive a morbo, & symptomatis, sive a vigiliis,

sive

ſive a tædio franguntur, languent, ac torpent, unde eorundem parcior, adhucque nequior diſtributio; hinc quaſdam partes quaſi paralyticas, ſaltemque valde torpidas aliquando per horas ſinunt; quod ſi vaſis ſanguiducis contingat, quæ tantum pondus maſſæ ſanguinis ſimul, & cruditatem ferre, & movere debent, hæc magis, magiſque opprimantur, oportet, vixque febrem pandant, ſed ægrotum angentem, nec multum diſſimilem moribundo offerant. Ab utroque item proficiſcuntur æſtus febriles repentini, & orgaſmi irregulares, intenſiones, inquam, febrium improviſæ, ac ſine ratione, cum urina magis rubicunda, quæ profecto ex ſupra allatis conſtare, puto. Hanc demum agnoſcunt originem & illæ inſigniores fervidiſſimæ periodi febriles, quæ ab hoc graviore morbo convaleſcentibus accidunt, quæque aſſidentibus & maximam admirationem, & timorem incutiunt. Nam in declinatione morbi, poſt evacuationes univerſales repetitas, a quibus maxima peccantis materiei pars demitur, & poſt quas ſpiritus animales, morbo etiam detriti, magis percelluntur, unitis, quacunque ſupra deſcripta data anſa, ad fines aliquot arteriarum paucioribus cruditatis reliquiis, hæ ramulos eoſdem diſtenſione irritantes efficiunt, ut illico omnes ſimul arteriæ conſentientes velocius, crebrius, & fortius, quam in aliis ex chylo febribus, conſtringi incipiant; ſanguis autem levem, tenuemque continens impuritatem, anteaque attenuatus ſtatim rarefit in arteriis adeo violenter motis, minuſque ob rarefactionem circuit, ex iiſdemque difficilius exit; eæque illum reſiſtentem, ac diſtendentem ſeipſas, adhuc vividius comprimunt, frequentiuſque compellunt; quare is vehementiſſime conquaſſatur, concitanturque maſſæ ſanguineæ partes, impetuſque in latera vaſorum major exercetur, quo ipſa vaſa magis ſollicitantur, atque adhuc crudelius ſanguinem pulſant, unde is commovetur funditus, magiſque rareſcit,

orgasmi fiunt, luctæ, inter ejusdem particulas, fortes, ac creberrimæ, ardores febriles, magni anhelitus citissime adoriuntur; adeo vero contrito adinvicem sanguine, urina multo rubicundior redditur; donec paulatim, confusa cum toto sanguine perpauca cruditate, atque aliis consumptis, aliis delassatis spiritibus, arteriæ mitius agant in sanguinem, eumque suo consueto fluxu labi sinant.

Hirsuti graciles quidam homines, præsertimque ætatis florem prætergressi, quando vel causæ sunt infra altos gradus, vel quando in magna causa, febreque ex chylo acuta, id per se Natura, sive adjuta remediis aptis quidem, sed parcius administratis, præstiterit, ut ablata fuerit multa cacochymia, relicta densiore, in longas febres, hæcticas nomine, sæpe labuntur. In his enim fortioribus temperamentis, ab vasis minus infirmis, quam in reliquis nec siccis, nec biliosis, intra aliquot dies illiditur cruditatis crassities, ac viscitas, mediocriterque erudita cruditas inter sanguinis particulas fibrosas, globulares, serosasque miscetur, atque confunditur, non inter minimas (quod cruditati non datur) partes elementares inseritur. Hæcque rudioris, hetherogenei, superflui chyli corpuscula, continuo circulo, & attritu aliquatenus divisa, & ad modicam molem, figuramque redacta, & ubique mixta partim impediunt, partim permittunt inter sanguineos globulos, fibrasque collisionem, confricationemque, ita ut calor neque magnus sit, neque naturalis, sed moderate febrilis, sibique æqualis. *Calor lentus primo, mox acer* tangentibus apparet, quia pigra est, & simul quodammodo violenta causa hujus caloris phlogistici, sicuti calor omnium glutinosorum, si quomodocunque callescant. *Circumstantibus partibus sunt callidiores arteriæ*, quia supranotatus sanguinearum particularum collisus, motusque violentus, ac perturbatus totius fluidi communis commode exerceri nequit in minutioribus tubis fibrarum carnosarum,

aut

aut in tenuibus vasculis sanguiferis membranarum, sicuti fit in vasis majusculis, quum in illis parvum detur spatium ad concurrendum, vixque aliud concedatur illac, quam transitus, ubi siquid interponatur, vel minutum, id magis, quam alibi, impedit, confricationem, & concursum inter sanguineas partes, necessarius ad promovendum notabilem calorem, & calori arteriarum majuscularum æqualem.

Confracta vero isto modo, & comminuta cruditas per totum sanguinem æque distribuitur, ubique retardat, & ubique similiter irritat; cumque, a motu febrili cordis, atque arteriarum inhibita cohæsione, servetur sic sejuncta, non amplius retardationes illas parit, absque alia accedente causa, quæ periodos veluti quasdam, quomodocunque invadentes faciunt, frigoriferas, atque insignes accessionum differentias. Servatur autem sejuncta, neque coït talis morbosa materia in hac febris Specie, quia ejusdem particulæ magis solidæ sunt, quam viscidæ, ideoque per se quadantenus, perpetuoque irritantes, ex quo nulla febris remissio, nullaque exinde morbosorum corpusculorum cohæsio; tum etiam quia eædem particulæ parvæ sunt, nec molem partium sanguinis superantes, unde perennis mixtura.

Augetur quidem hæc lenta continua Febris a sumpto necessario alimento, adjuncta sanguineæ massæ a novo chylo resistentia, causa, inquam, majoris distensionis, irritationisque vasorum (cum ipse advectus chylus rudior sit, & viscidior antiquo) & refectis etiam utcunque spiritibus, multiplicatis videlicet utraque ex parte hostibus, (namque ex hisce duobus etiam reliquæ febres omnes ex chylo, pro sua cujuscunque dispositione, incrementa capiunt) paulo fortius certamen viget, donec novus chylus, ad descriptam normam, febre aucta attenuetur, & per sanguinem universum inutiliter, morboseque disponatur.

Postea vero de massæ communis parte liquefacta, & ma-

magis diffluente tantundem fere ex eadem maſſa ſerius, ocius emittitur aut per urinam, aut per alvum, aut per ſudores, qui promptiores, frequentioreſque ob expreſſionem, quantum eſt ingreſſum, Natura ſymptomatice præparante, atque evacuante, indeque atrophia, conſumpto ſolido ob defectum ſucci nutritii, ab ſanguine non ſuppeditati, & cum ſucco eodem ſpiritus quoque animales paulatim decreſcunt, unde hebetudo, febrem non percipiunt ægri, languentibus cum ſua cauſa & ſenſu, & motu, hinc pigri ſunt, & ad actiones deſides, difficileſque ægrotantes; demum penes ſceleti figuram perducuntur, dum impura ſanguinea maſſa vix quidquam interim mole decreſcit, & pondere potius augetur.

Parvus eſt, duruſque pulſus, quia talis ſpiſſus, lentuſque ſanguis nonniſi remiſſam patitur rarefactionem, atque expanſionem; durities autem potiſſimum naſcitur ex eo, quod Natura omni conatu ſanguinis oneroſi circuitum tueri ſatagens pleroſque ſpiritus animales in hujuſmodi maſſa ſanguinea propulſanda impendit, ab arteriarum vero tenſione emergit pulſus durities.

Oleoſum, quod in urina ſecernitur, eſt pars chyloſæ pinguioris ſubſtantiæ, in ſanguine remanentis, ob ſanguinis ejuſdem ineptitudinem ad bonam ſecretionem, atque diſtributionem per membranam adipoſam, & cum eodem circumeuntis, in febre eliquatæ, quæ per vias patentiores paulatim effluit. Pulverulentum autem in urina ſedimen, ſeu *farinaceum* portio quædam eſt antiquioris, ſolidioriſque contritæ cruditatis, qua ſcatet ſanguis; cum autem urina ſit ſanguinis ſoboles, aliquid ex illa provecto morbo cum urina ſecedit.

Diarrhæa fere lethalis oritur, quando cruditas longo tempore, morboque aucta, ac deterior facta, quod indicat fœtor excrementorum intolerabilis, quidquid boni super-

pereſt vitiat, & jam languentem Naturam ſymptomatice ſtimulat ad frequentem, nimiamque expulſionem. Et hinc ſumma colliquatio. Diarrheæ iſti ſæpe anſam dat ſolidi ipſius peculiaris affectio, exulceratio nempe inteſtinorum, ſive partium adjacentium.

Quoniam autem de ſolido organice affecto incidit ſermo, jamque explicatæ ſunt chronicæ Eſſentiales, earumque ſymptomata, quæ jam ſunt communia tam Eſſentialibus, quam Symptomaticis, modo ad Symptomaticas, ab peculiari ſolidi conſtante vitio vel omnino dependentes, vel pabulum, vitamque trahentes veniendum.

Chronicæ fiunt ex eſſentialibus ſymptomaticæ, quando in aliquibus plures dies, in aliquibus pauciores (hinc & quædam acutæ ex chylo in chronicas ſymptomaticas tranſeunt) pro diſpoſitione temperamentorum, atque cauſarum, ſine opportunis medicis auxiliis excucurrerint, cum Natura irritata impedimentum circulationis, ac diſtenſionis cauſam, chyloſam cruditatem qualibet acceſſione febrili eliminare contendens eo deponat, ubi minorem invenit reſiſtentiam, minor autem fere in internorum viſcerum glandulis, quam in habitu, aliiſque muſculoſis, aut nerveis partibus, eoque magis ſiqua alia ratione eadem viſcera fuerint debiliora. Quum porro talis materia minus facile per vaſa pergat, unde eorundem continua diſtenſio, per glandularum circumvoluta vaſcula ſanguiduca cum ſauguine copioſior difficilius traducetur, præcipue ſi ante concoctionem, iſtam & crudam, & nimiam huc expulſerit irritata Natura. Huc porro urgente ſubſequente ſanguine, pars cruditatis craſſior, rudiorque in fines arteriarum, glandulas componentium, magis figitur, & diſtenſionem parit, unde glandulæ, quæ ferme hebetes, laxioreſque ſunt, tumidæ fiunt, atque earum orificia premuntur, dum interim pars cruditatis tenuior in glandularum earundem cavitatem exprimitur, inque ea hæ-

rens, ac moram trahens calore, & tempore ſpiſſitudinem acquirit, atque indureſcit, & quæ in glandularum vaſculis ſanguiferis, membraniſque eſt in ſpuriam quandam carnem concreſcit; ſic intumeſcunt glandulæ, dum minus ſecernunt, luxuriante in iis cacochymo vitioſo nutrimento, ſtrumoſæ redduntur, ac veluti carneo-calloſæ. Interdum alia mala his decubitibus ſuperveniunt, quæ perſequi meum non eſt; ſatiſque mihi generationem chronicarum ex chylo ſymptomaticarum Febrium ab eſſentialibus enarrare, quæ peragitur chronice ab eiſdem, organiceque læſis glandulis abdominis, aut pulmonibus. Ab horum namque viſcerum vitiis cruditatem chyli gigni, & renovari, jugiterque detineri tradidi, unde Chronicæ ſymptomaticæ contumaciſſime perſiſtunt, & donec durat viſcerum labes, a qua dependent.

Cur autem, affectis abdominis viſceribus, ſæpiſſime Hyſtericæ, aut Hyppocondriacæ Febres exoriantur, nonnunquam & Hæcticæ; læſo vero pulmone, ſemper Hæcticæ naſcantur, non levis eſt quæſtio.

Facilis quidem reſponſio quibus ſuppuratio, & pus tanquam parentes Hæcticæ Febris videntur, ſed minus vera hæcque ſatis a nobis antea confutata eſt opinio. Hic modo ſubjungimus, ſuppurationem in viſceribus hyppocondriorum, in meſenterio &c. æque dari poſſe, & reipſa nonnunquam dari tam in quietioribus Hæcticis, quam in chronicis tumultuoſis Hyſtericis, ſeu Hyppocondriacis, cum non ſit major ratio pro una, quam pro alia ſpecie; immo admiratur Morton, Phtyſim ipſam pulmonarem non ſemper, ac perpetuo ſequi hyppocondriacas, hyſtericaſve diututnas affectiones. Demum ſymptomata ſuppurationis, abſceſſuumque viſcerum abdominis, quæ ſunt validiores febrium exacerbationes; inopinatæ periodi, abſque ordine, aut tempore ingruentes; rigores ſæpe recurrentes, atque inordinati horrores, vigiliæ; labores a ſomno, etiam modico; ſudores frigidi

Ani-

Animi deliquia ; pulſus admodum inæquales, intermittentes &c. ſymptomatis incertis, ac gravioribus hyppocondriacarum, hyſtericarumve Febrium magis aſſimilantur, quam Hæcticæ ordinatiori: Typus igitur Hæcticæ a ſuppuratione, & pure minime dependet.

Quæ mihi videntur probabiliores, rationes exponam. Pulmone organice læſo, tum vaſa ſanguifera publica pulmonalia, tum reſpiratio vitiatur, per quæ fit ſanguinis trajectio a dextro ventriculo cordis in ſiniſtrum ; quare hæc, iſto poſito impedimento, multo tardior redditur, & dexter ventriculus tarde exoneratur : ſic cava vena, in ipſum fundens ſanguinem : ſic demum in cavam eandem tardius ſanguinem inferunt ſubclaviæ venæ ; hinc ad orificium ductus Pecqueti, chylum in ſubclaviam ſiniſtram vehentis premitur valvula appoſita, & ſola pars tenujor chyli deſcendit, quæ mixtioni cum ſanguine aptior eſt ; Et revera thoracicus ductus in nullis aliis cadaveribus ſectis æque ſolet plenus, diſtentuſque apparere, ac in iis, qui ex morbo pulmonum diuturno phtyſici e vita deceſſerunt. Chylus ergo in his minutatim ex orificio in ſanguinem inſtillatur; & chylus tenujor, & paulatim infuſus, licet in ſanguinem non convertatur ob vitium pulmonum, & crudus maneat, multo tamen melius, æquiuſque per ſanguinem diſtribuitur, & cum eo inde miſcetur, quam chylus rudis, qui abſque hac locali oppoſitione, atque anguſtia, cito multus, ac ſecundum totum transfertur in ſanguinem. Cruditas vero ubique, & æqualiter mixta cum ſanguine vaſa ſanguifera, læſis vaſis pulmonum conſentientia, atque a ſanguine in toto reliquo corpore, ubique tarde ob oſtium impeditum circumeunte diſtenta æqualiter, & ubique gravat, magiſque diſtendit. Cumque perpetuus ſit hic ordo, fixo iſto organico ſtabili pulmonum morbo, febres æquales chronicæ producantur, oportet, ſolum creſcentes quotieſcunque externa evi-

dens accedit caufa, & augetur interna. Præterea in Phtyficis tenuis, & fparfæ cruditatis pars minutior per fudores univerfales, copiofos divertitur, nec irruit in nervos, ficuti in hyppocondriacis, five hyftericis, unde & fpafmi, & inæquales vaforum motus, inæqualitatem in mixtura, in circuitione, & in febribus efficientes.

In aliis hæcticæ, in aliis autem hyppocondriacæ, hyftericæve nafcuntur febres ab obftructionibus iifdem viscerum abdominalium, quia idem fane folidi morbus, fed in diverfa incidit temperamenta. Ifque in temperamentis robuftioribus, per cruditatem in fanguinem immiffam, facit febres æquales, fibique conftantes, hæcticas nomine; illis enim parce quidem, pofitis hifce febribus, diftribuuntur, fed æqualiter fpiritus animales, unde cruditas melius regitur, æqualiterque mifcetur. Eos vero homines imperfectiores, quorum corpora convulfionibus, etiam ante febres, erant obnoxia, cruditas facillimo negotio turbat, atque convellit, neque regitur, verum in vafis inæqualiter motis inæqualiter mifcetur, febrefque inæquales parit, ac nervinis fymptomatis tumultuofas. Exemplum habemus in moralibus, quandoquidem ab iifdem duris rebus tum fortes, tum imbelles afficiuntur, aft effectus diverfus: fortes affliguntur quidem, attamen diu conftanter ferunt, debiliores contra inique tolerant, & modo in furorem, modo in fletum, nunc in hanc, nunc in oppofitam fententiam rapiuntur.

Capiti huic tandem finis imponendus; prout expofcit autem opportunitas, cœteris quoque in locis aliquæ traduntur theoriæ, eo quod ibi fymptomatum quorundam explicationem, ad feriem, & modum hujus capitis minus neceffarium, minufque facientem, commodiorem effe exiftimavi.

CA-

CAPUT SEPTIMUM.

De Prognosticis.

SYmptomata alia morborum naturæ, alia Medentium methodi soboles sunt; etenim quæ morbos non revocant ad melius fere alterant in deterius. Medentium autem nomine non Medicos tantummodo accipi velim, sed & domesticos, & quicunque ægro vel curando, vel alendo, vel regendo operam navant. Itaque primum, quod meum magis est, in præsenti, insitum Morbi genium, varium, quoad exitum quoque, ac diversum, ob oculos ponam, posteaque in sequente aliqua, quæ a remediis quibusdam male adhibitis, quæque a prava diæta, & incongruo regimine oriuntur, incommoda, prout necessitas tantum postulabit, attingam.

Quoniam vero periculum in hisce Febribus minus, majusve primo ab earundem humiliore, seu graviore ordine, graduque dependet, signa peculiaria cujuscunque classis, & cujuscunque conditionis earundem Febrium ad memoriam revocanda, ut hæc sciamus. Quoniam præterea similes sæpe sunt harum Febrium, cœteroquin indole diversarum, invasus, ab acutis minoribus chronicas, quod ipsi Hipp. difficile merito visum est, infra discernemus, ut impar discrimen, & diversus exitus prævideatur. Nunc quædam circa Ephemeram adnotanda sunt monumenta, quo minus decipiamur.

Febrem ephemeram hujusce generis sæpe in pueris, aliquando in adolescentibus, raro in ætate consistente, in senili vix unquam observavi; in adultis enim, quando ista symptomata hanc statuunt causam, nimirum chylosam in febribus cruditatem, continuæ, ac ephemera longiores, peri-

ricu-

riculosæque febres sæpius esse consueverunt. Neque urina ipsa concoctionis speciem initio referens in quibusdam febre ex chylo laborantibus semper est ephemeræ inditium, quemadmodum non semel admiratus sum. Id evenire interdum solet post phlebotomiam statim celebratam in istiusmodi febribus aut æqualibus, aut ad eas accedentibus, in quibus materia neque crassior, neque viscidior, minusque post missionem sanguinis, indeque Naturam ad expulsionem magis stimulat. Nonnunquam enim in primo illo Naturæ cum cruditate conflictu, in attritione, inquam, & pressione vasorum irritatorum, aliquâ dictæ cruditatis portiuncula, magis turgens, vel per sudores unctuosos, in principio apparentes exprimitur, vel per alvum cum fæcibus liquidis, quarum partem luteam, seu fusco-albicantem reddit, deponitur, vel tandem cum urina emittitur, ac puriformem nubeculam in fundo gignit, hypostasim, & concoctionem simulans. Fictæ autem, imperfectæque concoctionis signum est, quod non perseverat, quodque morbi symptomata crescunt.

Ipsa etiam febris brevitas in pluribus nihilo magis tuta videtur; nam accidit non raro, ut quis febre ex chylo capiatur, quæ cum non extendatur ad alterum diem, ephemera febris fuisse judicatur, dum interea pristinæ vivendi rationi securus sese credens convalescens, paucos post dies, denuo ejusdem quidem generis, quoad causam, sed longiore, periculosaque febre corripitur, sæpe per quasdam veluti periodos incipiente, quemadmodum diximus de inæquali specie secunda. Hanc non esse Ephemeram, vel ex eo apparebit, quod neque intensione, neque fortasse exacta nictemeri duratione stipabitur, neque postea omnino sanus, liber, æqualisque pulsus remanebit, neque homo omnibus horis se bene habere sibi videbitur.

Ea insuper, quæ cap. præcedente habuimus de citiore

post

post causam exortu febrium acutarum minorum, & tardiore graviorum, fortiorumqne, huic distinctioni non parum conducent.

Porro quum illic, minores acutas febres pueris, atque adolescentibus vividioribus, graviores autem senibus, obtusioribusque magis familiares esse, dixerim, id non ita accipi velim, ut sola ætatis, aut temperamenti inspectio ingruentes febres alias in pueris &c. ephemeras, acutasve minores, alias in natu majoribus graviores, majoresque futuras dijudicet; siquidem haud semper in pueris, & adolescentibus ab chyli cruditate cum symptomatis istis Ephemeræ gignuntur, sed non raro acutæ etiam periculosæ suboriuntur, multoque diutius durantes, atque in chronicas quoque quædam transeunt, sicuti in aliis.

Diximus alibi, præcipue in puerorum acutis minoribus, puncta quædam libera fere conspici in farinosa descripta albedine linguæ; quod bonum est in hisce, atque atiam in acutis majoribus, siquando in his dentur, & in chronicis ipsis, sive periodicis, sive continuis. Bona, inquam, sunt puncta illa ut signum, & ut causa; namque ostenditur tanta non esse cruditas, ut omnia secretoria obstruat, atque impediat; inter causas vero, cur cito solvuntur istiusmodi febres, præcipua est libertas, & apertio viarum earundem, per quas excrementa possunt eliminari, & boni succi ad secretionem meliorem chyli provenire; etenim sicuti glandularum communes esse solent morbi, ita & incolumitas; atque ideo, opinor, ex Baglivo lib. 1. prax. cap. 3. habemus, febricitantes, quando probe spuunt, esse ut plurimum extra periculum.

Iisdem fere, notatis alibi, principiis aggrediuntur Acutæ minores, & Chronicæ non paucæ; quinimmo & nonnullæ Acutæ minores in Chronicas facessunt; indeque non levis in prognosi interdum hallucinatio. Ad prognosticam igi-

igitur distinctionem: Illæ febres cum impetu aliquo invadentes, posteaque binis, tribusve transactis diebus, remissiores factæ, chronicæ certo futuræ sunt, in quibus percipimus acriorem, & constantiorem calorem, pulsum semper, mane quoque, febrilem, contractum, ac parvum, quæque simul citiorem debito afferunt extenuationem, atque in quibus, opportunis etiam usurpatis remediis, minus concoquitur urina; tum illæ, quæ superveniunt maciei, malæque habitudini; nec non quæ tumoribus glandularum externis subjunguntur (externis enim compatiuntur internæ, & morbi glandularum communes ex Baglivo de lu. ven. & morb. glandular.) præsertim si longa diarrhæa tumores eosdem comitetur; sic demum quæ accedunt antiquæ tussi, difficilique respirationi, eoque magis si hæmophtysis præcesserit, aut copuletur. Hæ, nisi levia, ablatuque facilia sint partium particularium incommoda, fere in chronicas abeunt, de quibus postea suo loco. Quomodo autem quædam, quæ cœteroquin solum acutæ minores forent, si bene tractarentur, desinant in chronicas, videbimus in sequente.

Acutarum vero graviorum, periculosiorumque Febrium itidem ex Hipp. incertum præsagium, quum vulgatum illud in genere scripserit: *Acutorum morborum non omnino certæ sunt prænunciationes aut salutis, aut mortis*; nihilominus faciendum, caute tamen, & cum circumspectione multa, in fortioribus præcipue causis, aut multiplicibus, aut quasi vetustis, quæ lassitudinem longam ante morbum fecere.

Temperamenta igitur primum, quæ magis, minusve his febribus insidiosis, gravioribus, pejoribus tandem, majoribusve periclitantur, exponemus, deinde febres has easdem, earumque symptomata dijudicabimus.

In phlegmaticis aliquando, & in quibusdam senibus, si ad placiditatem insidiosam harum febrium, de familia Quotidianarum, tum de Acutis senilibus, attendamus, vix quidem

dem acutæ videntur; attonito tamen ſtupore quodam ægrotantes afficientes, in dieſque graviores factæ opprimunt; interdum in Cachexiam, vel in humidam Phtyſim, vel in Lienteriam, in quæ proni ſunt phlegmatici, vel in Hæcticam Febrem, ac maraſmum, in quæ hirſuta ſeniorum corpora, pertranſire conſueverunt ſibi relictæ.

Contra in ætatis flore conſtitutis, & forti temperamento præditis calidæ, forteſque ſæpe ſunt hæ Febres: vigiliæ, anxietates, anhelitus non raro eaſdem comitantur; attamen plerunque bonum omen habent, citoque properant ad finem, hyeme maxime, vere, ac prima æſtate; quoniam hæc omnia in vegetis, & cœteroquin ſanis corporibus facili negotio per remedia tolluntur.

Maxime periculoſæ ſunt hujuſmodi acutæ Febres in iis, qui naturalia digeſtionis primæ viſcera habent jamdiu vinoſis liquoribus obdurata, ac ſtupefacta, quippe quod talibus in phlogoſim, atque adeo in inflammationem particularem paulatim degenerant; tum in gracilibus quibuſdam, ſtrigoſis corporibus; multi enim ex his ægrotantibus citius, aut tardius pereunt: alii per recidivam, cui levi etiam de cauſa obnoxii ſunt, alii per alios ſubſequentes chronicos; in nullis nanque magis ad longas iliades malorum proclivis eſt hic morbus, quam in iſtiuſmodi hominibus. Poſt hos, illi periclitantur, difficileque ab his febribus liberantur, qui vaſis ſanguiducis peranguſtis inſtructi ſunt; contra illi minus, quibus vaſa ſunt capaciora.

Modò generaliora quædam, & frequentiora circa febres eaſdem majores ex Hipp. Aph. præmittamus, quæ ad prognoſim pertinent, hæcque a Sect. IV. Aph. ſumpta, haud Aphoriſmorum, prout ſtant, ſed febrium progreſſus ordine digeſta.

Et ubi in toto corpore mutationes, & ſi corpus refrigeretur, vel rurſus calefiat, vel calor alter ex altero fiat, longitudinem morbi ſignificat. Aph. 40.

S Fe-

Febres quæcunque non intermittentes tertia die fortiores fiunt, magis periculosæ; quocunque autem modo intermiserint, periculum abesse significatur. 43.

Lassitudinem habentibus in febribus in articulos, & circa maxillas potissimum labores fiunt 31.

Quibus circa dentes in febribus quidam lentores nascuntur, his fortes fiunt febres. 58.

Excretiones, in febribus non intermittentibus, lividæ, cruentæ, fœtidæ, omnes malæ; Et si bene exeant sive per alvi excretionem, sive per urinam, bonæ; si vero non aliquid eorum, quæ juvant, per hæc loca excernitur, malum. 47.

Febricitanti sudor superveniens, febre non deficiente, malum; prorogatur enim morbus, & multam significat humiditatem. 56.

Quibus in febribus sexto die rigores fiunt, difficile judicium sequitur. 29.

Si rigor incidat, febre non deficiente, lethale est. 46.

In febribus non intermittentibus, si partes exteriores frigidæ, interiores uruntur, & sitis habeat, lethale 48. Quod non de febrium principiis intelligendum, sed de Lypiria, persistente etiam post opportuna remedia; ex quo abdominis tenuja, ac sensibilia viscera inflammata deprehenduntur.

His positis, Febres hæ minus periculosæ sunt, quæ diutius remittunt; quanquam enim illa sit insidiosa remissio, sanguinis tamen per febrem solutio melior est quæ accessionibus intervallo distantibus paulatim fit, siquidem omne nimium Naturæ inimicum, & quod paulatim fit, id tutius; quo ergo longiores, crebrioresque accessiones, eo periculosiores, nam indicant, materiam morbificam & multam esse, & crudiorem, & magis proclivem ad cohæsionem, atque ex altera parte minores vasorum vires, quam possint attritione accessionum solutam per aliquod notabile tempus sanguineam massam servare. Malum expectandum etiam ubi accessio,

seu

ſeu febris exacerbatio ad mane differtur, quod Naturæ tarditatem oſtendit, nimirum ob plenitudinem, cruditatemque magnam ſero chylum quotidianum diſtribui per ſanguinem, atque inertia vaſa ſtimulum tarde ſentire, ſegniterque moveri.

Lingua maxime commendatur mollis, atque humida, non intenſe rubra, & initio veluti ſimilagine leviter conſperſa ſuperiorem ſuperficiem; quæ ſi circa quartum in obſcuriorem evadat, & mellis colorem paulatim induat, conſtanterque retineat, febris ſeptima die finietur; ſi talis fieri incipiat die ſeptima, & creſcens maturus color perſeveret, undecimum, aut decimum quartum non prætergredietur febris. Summopere vero improbanda eſt lingua, quæ ſimul ſicca, arida, ac cruſtoſa, in medio ſubobſcura, eoque pejor nigra, etiamſi circum albeſcat. Fortiſſimus morbus, ſi labia quoque arefacta laminas quaſdam, tanquam ſquamas metallorum, exhibeant. Secunda ab hac eſt ea, quæ livida fæditate, quaſi luto, oblinitur. Longitudinem morbi ſignificat quæ ſæpe mutatur, ac modo hanc, modo illam fert veſtem, modo pene nuda apparet; linguæ varietas in gravi morbo, niſi alia ſpem tulerint, fere lethalis.

Pulſus optimus eſt magnus, mollis, & æqualis, ſaltem in acceſſionibus, & mediocri febrili frequentia motus, calori itidem febrili quidem, ſed non multo conjunctus; malus eſt durus, pejor inæqualis, & parvus, præſertim in ſtatu, peſſimus formicans; huic proximus eſt confuſus, qui licet altior prædicto, tamen pene indiſtinctus eſt, propter plenitudinem, obtuſamque frequentiam, ita ut vix ſyſtole a diaſtole commode diſcernatur; maxime quoque improbatur pulſus ſepultus, obtuſus, hebes; poſt hos naturali rarior. Pro ſymptomatum autem comitantium levitate, aut gravitate diverſimode judicari poſſunt pulſus intermittentes, & pulſus ſimiles naturalibus; utrique vero ſuſpecti.

Urina varia esse solet pro varia morbi indole, diversoque ejusdem tempore; illa tutissima est, quæ mediocritatem servat in omnibus qualitatibus; abundans, & non tenuis, neque decolor, bona fere semper in hoc morbo. Color sanorum urinæ similis ambiguus; si concoctioni constanti uniatur diebus convenientibus, admodum salubris; sin minus, contra. Sero lactis similis urina vel acido multo, vel chylo crudo valde superabundante, mixtoque talis apparet. Rubra, atque ignea in quibusdam æqualibus, si talis perseveret, mala: Rubens, & cruda diu permanens valde timenda, ac feralis, hæc in aliquod viscus decubitum prodit. Urina male, inconstanterve concocta periculosa, febremque debito longiorem, & symptomaticam pronunciat; at si alia prava signa adsint, etiam mortalem pordit; si autem remediis paulatim mutetur, sensimque coquatur, convalescentiæ, quanquam tardioris, affert expectationem. Periculum minatur urina semisuppressa, majus quæ cohibita; tum ea, quæ confusa manet, neque nubes separat, neque corrumpitur, quæ si, licet adhibitis adhibendis, talis prosequatur, mors metuenda, nam omnino perniciosa est; item quæ semper corrumpitur, antequam concoquatur.

Fæces flavescentes, quantumvis sinceræ: liquidæ, aut strigmentosæ, aut partim duræ, partim liquidæ primis sedibus minime damnantur, quia conveniunt morbo. Odor illarum etsi quadantenus initio gravis nihil per se lethalis habet, ob eandem mox allatam rationem, nisi sociata terreant symptomata; sic oleosæ fæces multæ in principiis exeuntes, quæ potius sunt salutares. Interdum etiam alimentorum quædam incoctæ, & integræ particulæ liquido fæcum lacu innatant, nec tamen Lienteria semper prædicenda, maleque ex hoc uno prognosticandum; nam quamvis talia in debilioribus, morboque fractis occurrant, tamen om-

nia

nia mutari poſſunt, ſi reliqua ſecuritatem promittant. Fæces in morbo variæ admodum periculoſæ; peſſimæ quæ una, eademque ſede diverſas, extraneaſque qualitates habent. Viridia excrementa acidum copioſum corpori ineſſe, redarguunt; albeſcentia chyloſum crudius præſeferunt; cinericea deterius; cretacea, limoſa multo pejora: omnia hæc chronicum periculum ominantur; Quod ſi tritorum laterum colorem referant, perquam improbæ habendæ; ſi autem ſimul humidæ, ſinceræ, & glutinoſæ exiſtant, ita ut vaſis parietibus ubique adhæreant, erunt nequiſſimæ; nigræ in paucis viribus, ſummeque fœtentes mortem prædicunt.

Diarrhæa in his febribus, niſi modum excedat, mala nequaquam eſt, præſertim in bonis temperamentis, quamvis etiam torminoſa; ſi vero in ſtatu ſuperveniat, concocta urina, valde ſalubris. Horrendum ſane, & mortale, ſi fluens etiam intumeſcit venter, vel flatu quodammodo diſtenditur, ac turget, quod iis præcipue accidit, quibus in labefactatis naturalibus, primæ coctioni dicatis, viſceribus morbus firmatur; & multo crudelius, certiuſque exitium prænunciandum, ſi interim dolores acuti, etſi vagi, inteſtina circumeant, quod iiſdem ſolemne eſt, eoque magis ſi & ſingultus ſimul erumpat.

Attamen malum etiam, admodumque timendum in magna cauſa, nullas, exiguaſve dari evacuationes; ſuffocativum enim eſt, ac mortiferum.

Sanguinis extractus, qui a ſuo ſero boni coloris ſejunctus de vitro inclinato libenter effluit, & cultro leviter premente ſeparatur, ſuperficiemque rubeam habet, brevem morbum, exitumque pollicetur fælicem, ſi nullum viſcus interea peculiariter laboret, unde haud ſit pertimeſcendum, ut læſa pars confluens craſſamentoſum retineat. Malus ſanguis, qui non ſecernit ſerum. Cœterum ſebacea, ac gelatinoſa ſanguinis ſuperficies, ſi æqualis ſit, aut craſſior ſem-

ſemper morbi gravitatem accuſat, & quo tardius, minuſque in hanc concretionem abit, eo minus malum; ſi vero in ſanguine extracto adhuc caleſcente quid virideſcens hic illic cogi cernatur, quod ſemper magis amplificetur, & clareſcat, uſque ad coaguli ſimilitudinem, magnus, & gravis eſt morbus. Color autem coaguli tum albus, tum ad flavedinem quandam claram, tum ad cœleſtem tendens pravus, peſſimus varius color, nequiſſimus totus ſanguis, qui cum ſordido coagulo, ab inſula ſubter nigra, ac diffluente ſerum cruentum emittit. Quod ſi extractus ſanguis vitro ita glutinoſus cohæreat, ut nonniſi validis, repetitiſque concuſſionibus, & tunc quoque difficile, neque integre extrudatur, vel lethale (quod in virium imbecillitate) vel diuturnum malum, chronicumque quid præcipue in pulmonibus perſæpe minitatur.

Color faciei ægroti probatur, qui a naturali per moderatum pallorem recedit. Si nimium rubeſcat facies, præſertim poſt remedia, malum; ſi flaveſcat, periculoſius; peſſima eſt facies ad plumbeam accedens; hi duo enim poſteriores colores hyppocondriorum viſcera affici, vel affecta demonſtrant, chronicoſque fere inſequuturos mortales indicunt, niſi citius ex acuto pereat ægrotans. Facies plena, quæ morbo vix imminuitur, multam cruditatem, denſam, tenacemque redarguit, morbumque longum futurum.

Signa prognoſtica Malignarum Febrium alia febrium diſpoſitionem ad malignitatem, & per conſequens putredinem, ac malignitatem, ſequuturas indicant, alia tranſitum ipſarum in malignas, & putredinem, indeque malignitatem, exorientes oſtendunt, alia earundem diverſos gradus, periculumque diſcriminant.

Febres acutæ ex chyli cruditate malignitati obnoxiæ ſunt, ad eamque diſpoſitæ primo quæ plures validas, variaſque, ac diverſæ indolis cauſas procactarticas habuerunt;

hinc

hinc illæ præcipue, in quibus fæces colore, & substantia variæ, multumque inter se differentes conspiciuntur. Sic febres, quæ simul calidæ sunt, & convulsiones, subsultusque tendinum, vel sudores profusissimos inducunt initio morbi, cum quo stare potest illud Galleni, nempe *genarum rubores cum sudoribus*, sed intelligendi rubores intensiores, atque ad fuscum vergentes; item hæ, quarum accessiones sunt longiores, & frequentiores, etiam post opportuna repetita remedia; tum illæ, quæ incipiunt cum capitis dolore exquisito, cœterisque vulgaribus antecellente, duro, opprimente, perseverante; tum febres graves cum doloribus totius, atque artuum crudelioribus, constantioribus, diutiusque durantibus; illæ quoque, in quibus cardialgia unita torpori, quæque sitim afferunt, & ariditatem citra calorem; & symptomata demum quæcunque in suspectis acutis febribus prava simul, anomala, atque insueta, maleque sibi invicem respondentia inter malignitatis inditia haberi possunt. Quæ omnia, & singula certius prognosticum faciunt, si in maligna constitutione eveniant.

Non solam propensionem, sed ipsum transitum in malignas monstrant oppressio simul, & turbatio Naturæ, insigniores, quam in aliis febribus, magisque crescentes, quam febris, cujuscunque sit classis, præstare valeat, & sine alia causa manifesta, animalis videlicet, vitalis, quandoque & naturalis facultatis commotio, passio, ac detrimentum; Atque inter cœtera pulsus obtusi, confusi, sepulti, aut obscuri initio, sive augmento morbi, in statu undosi, vacillantes; tum pulsus in febre mutatio ex naturali simili in frequentiorem quidem, sed inordinatum; Corpus etiam in acutis febribus non admodum pro ratione febris calere, membraque minus calida nudare, perinde ac si incendio conflagrarent, malignitatis signum ex Hipp. de vict. rat. in morb. acut. & 1. prognost. Item supranotatus extractus sanguis, qui

sub

ſub impuro coagulo diffluit, ſerumque atro cruore inficit; Demum peticularum eruptio.

Cœterum in malignis febribus ſternutamenta optima, atque etiam ex Riverio ſecuritatem pollicentur; hæc quippe Naturam ſentire, viriliterque expellere, indicant. Contra cardialgiæ frequentes, & ſingultus ferales ſunt.

Pulſus boni, conſtanteſque omnibus temporibus morbi bene ſperare jubent. Malus vero in malignis pulſus valde inordinatus, inæqualis, tum frequentiſſimus; mali, inquam, tales pulſus; ac ſi etiam debiles percipiantur, mortiferi.

Practici diſtinguere ſolent peticulas in criticas, & ſymptomaticas, & quaſdam criticas audent dicere in malignis febribus peticulas, quaſi tantilli, & crudi ſanguinis extillatio ad cutem, critica eſſe poſſit evacuatio, dum ex noto axiomate *nil paucum criticum*. Nullo nomine hæ criticæ dici poſſunt, ſicuti variolæ, quæ ſunt ad inſtar criſis; nam diſpar omnino ratio eſt; ſiquidem in variolis poſt plenam eruptionem ceſſat prorſus prima febris, morbifica materia ad cutem depulſa: apparentibus vero peticulis, vel major apparet febris, vel ſymptomata pejora inſurgunt. Variolæ conferunt tanquam criticæ, quia purgant corpus per abſceſſus, & eorum ſuppurationem, qui ſi diſpareant, antequam ſuppurentur, male cedere ſolent; ſuppurationem autem nullam habent peticularum ſtygmata; immo peticulæ mere rubræ aliarum optimæ, & tanquam criticæ communiter cenſentur; veruntamen ea non eſt criſis, per quam non evacuatur præciſe peccans, ſed plus de bono, quam de malo, quod proprium ſymptomatici. Malignitatem per peticulas ad ambitum e ſanguine expelli, iſti opinantur. Id autem ſi verum foret, advectis peticulis, ſemper, ſaltemque ut plurimum in vado res eſſet, eoque magis, quo plures, & quo pejoris coloris; quæ omnia quotidianis opponuntur obſervationibus. Quamobrem quum peticulæ neque ſanguinem

ſatis

ſatis minuant, neque cruditatem ſecernant, expurgentque, neque de maſſa malignitatem exhauriant, quanam ratione unquam criticæ reputandæ? Inſuper neque criticæ debent judicari peticulæ, etſi eas nonnunquam ſequatur notabile levamen, morbuſque poſt eruptionem miteſcat, nam hoc non provenit ex peticulis expulſis, verum ex aliis criticis evacuationibus, præſertim alvi, & urinæ, accerſitis per excitatam, vique directam ſanguinis circulationem in efficaci victricis Naturæ conamine, atque expulſione, in qua ſimul & peticulæ promoventur, & iſtiuſmodi ſecretiones utiles diſponuntur; ſiquidem non ſtatim ſequitur ablatio morbi ex peticulis, quemadmodum ex cœteris criſibus evenit, ſed poſt evacuationes iſtas alias; morbus enim per haſce perſeverantes, quanquam etiam peticulæ interim diſpareant, paulatim decreſcit, quæ ſi imminuantur, aut ſupprimantur, licet ad cutem ſint peticulæ, morbus tamen recrudeſcit, & rurſus in vitæ diſcrimine æger verſatur.

Minus autem, magiſque periculoſæ peticulæ, pro variis eruptionis accidentibus: ſic quæ morbo haud nimis protracto, neque penitus fractis viribus, erumpunt boni coloris claro-rubicundi, diluti, mixti, & cum aliqua protuberantia, minus periculoſæ ſunt; tum pro aliis adjunctis conſequentibus, nempe ſi febris ante, oculta, & depreſſa, manifeſtior emergat, & pulſus, antea inæquales, contracti, parvi, expandantur, conſtantiores, fortioreſque fiant, (quod ſignum eſt, reſiſtentiam a Natura per malignitatem vinci) ac potiſſimum ſi dictæ ſecretiones alvi, & urinæ cum concoctione poſt peticularum apparitionem probe exerceantur, aut ſaltem tumores, etiam alibi citati, œdematoſis ſimiles, aliqua ſidem prævia coctione, ambitus partem occupent, teneantque, vix amplius timendæ. Quod ſi tarde, jamque profligata Natura, peticulæ pravæ, obſcurioreſque in conſpectum veniant, & pro ſecretionibus ſalutaribus, ſint urinæ con-

fusæ, turbatæque, aut tenujores, aut cum hypostasi, con-
tentisve nigris, seu livescentibus (quæ certo exitialia) con-
spiciantur, vel caput oneretur delirio, sopore &c. prorsus
funestum; eoque certius, si exanthemata livida, carbunculi præsertim magni, aut cum ulcere depascente, aut qui in gangrænam mutantur, aut cordi, aut gutturi vicini, aut plures comitentur peticulas, sequanturve; etenim hæc omnia pessima, atque mortifera.

Surditas in statu harum Febrium adveniens, præcipue post evacuationes, semper salubris. Surditas vero initio omnium acutorum, præsertim malignorum, periculosissima.

Parotides vel tantillum inclinante morbo (quod cognoscitur ex imminutione symptomatum) accedentes salutares. Initio autem, augmento, vel etiam exacerbationi, & vigori morbi cum gravibus aliis symptomatis supervenientes malum ominantur, & interitum, maximeque si dispareant.

Febres Chronicæ sicuti communia quædam diagnostica symptomata ex chylo habent, quædam peculiaria; ita & prognostica quædam generalia iis quoque inserviunt (generalia autem, seu communia prognostica sunt aliqua ex illis quæ antea in acutis posuimus, quæ scilicet tam acutis, quam chronicis convenire possunt) hic autem subnectemus prognostica propria.

Hujusmodi Chronicas alias, diximus, essentiales esse alias symptomaticas; ergo prognostica febrium essentialium primo, deinde symptomaticarum afferamus.

Hyppocondriacæ, etiam essentiales, quæ magis accedunt ac sæpius ad acutum; tum illæ, in quibus spirituum tumultus turbant potissimum partes principes sive vitales sive animales, sive naturales, earumque functiones, pessimæ, difficillimæ, facilique negotio inferunt necem. Qu[illegible]

a par-

a partu incipiunt hyſtericæ nequiores, & curatu ut plurimum difficiliores.

Hæ ipſæ melioris ſpei in adoleſcentibus, atque juvenibus boni coloris; in pueris cito naſcuntur, citoque ſedari poſſunt.

Hæcticæ pariter eſſentiales, niſi cito curentur, periculoſæ.

Eædem in bonis temperamentis, morbo nondum provecto, atque inveterato, facile ſanantur.

Chronicas porro eſſentiales minus periculoſas eſſe, & minus longas, minuſque difficilis curationis, quam ſymptomaticas, nemo non videt.

Signa Prognoſtica Symptomaticarum alia propenſionem, ac facilem tranſitum in ſymptomaticas, alia jam ſymptomaticas factas oſtendunt; Hæcque ſigna quoniam aliqua majus, aliqua minus periculum, aliqua dubium eventum prædicunt, idcirco in mala, media, & bona dividentur.

Inter ſigna igitur propenſionis eſſentialium in ſymptomaticas, eſt atrabilarium, aut ſimile temperamentum ægrotantis, in quo & denſior eſt ſanguis, & glandulæ vitioſæ magis, quam in aliis fiunt, quemadmodum videmus magnos lienes iis familiares, ſchyrros &c. ex quo malum omen colligere licet, quum iſtiuſmodi corpus per ſe, ac ſponte in pejora ruat.

Tum ſicuti ab cauſarum diverſa natura, ac ſpecie diverſus effectuum genius, atque exitus conſequuntur, ita eaſdem inter prognoſtica ſigna recenſere haud abſurdum erit. Itaque ſi cauſa fuerit diuturnus meri, & vinoſorum ſpirituum abuſus, Chronicæ ſymptomaticæ facilius producentur, valdeque pernicioſæ; ſiquidem, tum glutinoſis impuri ſanguinis, tum ſalinis ipſorum liquorum particulis in fibrarum porulis, & in interſtitiis relictis, infixiſque, ac tempore ſimul induratis, rigida dura, quaſi coria, paulatim viſcera

redduntur, ut exhibet morbosorum Anatomes; id scilicet contingit præcipue vasculis angustis, maximeque convolutis, quibus glandulæ componuntur; quare hæ concretionibus istis sensim obdurescunt, quæ vix, aut ne vix quidem solvi possunt, morbo præsertim inveterato; sed eum potius alterant, citoque in alios lethales chronicos convertunt.

Item obstruuntur viscera ab Animi dolore, & tristitia: *tristitia, & mœrore membra humore referta obdurescunt.* Sanctor. in Static. Mœror, etiamsi brevis, atque improvisus, ad cor spiritus reprimit, illudque violenter constringit, unde tardior sanguinis circuitio, pallor, tremor, cordis palpitatio; Ab ista itidem constrictione, segnique sanguinis circulatione expressio humorum fit, per arteriarum lateralia lynphatica, unde in plerisque lachrymæ, in aliis sudores, in nonnullis œdemata improvisa erumpunt, in quibusdam etiam enphisemata, extruso ad loca extima aere: hæc autem in sanis, in quibus perculsa Natura, usque ad excretoria, aut ad exteriora humores viriliter digerit, aut explodit; in ægris vero, in quibus gravata Natura, & viscera languent, eo feruntur humores excrementosi, ubi major calor, & naturalis, ac morbosa minus resistens partium mollities, nempe intra cavitates, in thoracicorum, vel abdominalium viscerum vasa, indeque per hasce pathematum impressiones exprimuntur ubi ad conglomerata, magisque tortuosa vascula venerunt, nempe in primis fere glandularum liminibus, deponunturque in laxa glandularum corpora. In his itaque Febribus a tristitia (quam inter cruditatis causas conscripsi) longoque mœrore natis, ante generata, congregataque cruditate ab sanguiducis vasis abundantius in viscera emissa glandulæ, ac interstitia earundem in dies magis infarciuntur, & symptomaticæ, curatu difficillimæ febres, ac fere lethales gignuntur, certioris necis, si diu duret tristitia; quia hæc cruditatem & primarum via-

rum,

rum, & in sanguine auget, & in visceribus; viscerum porro infarctus utranque priorem cruditatem amplificat; hinc morbi longęva diuturnitas, ac recrudescentia; a longo autem, ac recrudescente morbo renovatur mœror. Quare per hosce reciprocos processus ad interritum ducitur ęgrotans. Febres igitur, quę ab dictis oriuntur Animi affectibus, in symptomaticas sponte inclinant; atque si hisce Febribus essentialibus hęc superveniant pathemata, ipsę in symptomaticas transire consueverunt.

Si ab acuto aliquo inflammatorio ipsorum viscerum morbo jam convalescenti chronicę istiusmodi Febres superveniant, periculum est, ne in symptomaticas cito facessant (*siqua* enim *pars ante morbum laboraverit, hic morbus firmatur*) & in symptomaticas, jam ante debilitato ęgro, per se fatales.

Antiquitas febris, eandem fieri symptomaticam, arguit; longorum autem morborum finem vulgus quoque scit infœlicem.

Si hisce Febribus Hęmophtysis superinducatur, tussis, & spirandi difficultas, perseverantes accedant, in Symptomaticas jam facessunt, exitus valde periculosi.

Si iisdem in Febribus caro minuatur, oculi concavi fiant, vultus magis pallescat, aut infletur, albescant ungues, arescat cutis asperior facta, aut lævior, quam antea luceat, tanquam si gummi illita fuerit, atque hic illic morbose rubicundior, sordidiorque in dorso manuum, pedumque scindatur, ac veluti leprosa appareat, fixus denunciatur morbus in abdominis glandulis gigni, neque superari, nisi difficillime, posse. Quando externum solidum ab interno vitio pati incipit, potiori jure, internum male se habere, judicandum: id videmus in plantis, quæ siquam malam notam offerant in cortice, aut passo, aut calloso, aut quoquo modo præter naturam tumente, medulla vitiata,

aut

aut ſaltem pars aliqua interior laborare deprehenditur. Cum hiſce pravis ſignis Chronicæ Febres proculdubio in ſymptomaticas tranſeunt. Hæque ſibi relictæ ad certam mortem ſenſim perducunt, curatæ plures enecant, maxime ruſticos, per recidivas.

Oculorum quoque peculiaris, accuratiorque conſideratio ad hujus prognoſis cognitionem multum conducit. Sic oculi in ægris opaci, pulverulenti, floccoſi, graves, obtuſi &c. argumento ſunt, organicos iſtiuſmodi morbos, nimirum obſtructiones, in ſolidum internum viſcerum altas jam mittere radices; idque ob communionem nervorum, quia par ſextum & oculis inſervit, & ad inferiores cavitates thoracis (ubi intercoſtale dicitur) & abdominis deſcendit plexus cum aliis cavitatum dictarum nervis efformans, donec tandem cum cruralibus conjungatur; hinc ex Hipp. in coac. *Oculorum rubor in febre natus diuturnam ventris moleſtiam oſtendit.* Sic ſi diu permaneant oculi, quales deſcripſimus, raro, vixque unquam in ſalutem, atque in priſtinum æger revocatur.

Icterus ingruens, ac perſeverans, quanquam remiſſus, maximum viſcus abdominis obſtructum palam profitetur, quod peſſimum ut ſignum, & ut cauſa; ut ſignum quidem, quia Icterus in hiſce febribus ſemper eſt ſympromaticus, ut cauſa, quia chylus bile orbatus multo majorem cruditatem acquirit; tum ſegnior fit alvus, ſtimulo deficiente, unde ex ea magis contaminatur ſanguis, morbus alteratur, intenditurque plerunque lethalis.

Si igitur hiſce Febribus in progreſſu, aut ſtatu aliqua ex hujuſmodi ſignis ſuperaddantur, eſſentiales in ſymptomaticas evadere, pronunciato; Si vero cum hiſce chronicæ ab ortu compareant, aut ea præceſſerint, præſertim hæmophtyſis, ſeu cita ſine externa cauſa, extenuatio, jam a natalibus ſymptomaticæ habendæ, quæ ſæpius funeſtæ.

Per

Per manuum vero tactum, atque explorationem glandulæ, nisi valde morbosæ, ac permagnæ sint, aut difficile, aut minime deteguntur; quamobrem si facili negotio vitiosa earum moles attrectatione inveniatur, majus erit vitium, quam brevi tempore discuti possit. Si autem glandulæ tales hepar, aut quæ in mesenterio sparsim consistunt, fuerint, admodum periculosum. Quod si cum his ægri vires tenues deprehendantur, mors magis, quam salus expectanda.

Ambigua, seu media signa, quæ infarcta viscera in chronicis hisce Febribus, harumque dubium exitum faciunt, hæc sunt: obstinata, etiam post evacuationes, & absque ægri errore, febris continuæ lentæ inhærentia, aut crebra recidiva. Incertum autem ex hoc uno vitæ, & mortis præsagium. Hic porro reminiscendum, continuam quandam spuriam, lentam febrem interdum aliquantisper insistere, ob spirituum debilitatem, & confusionem a prægresso morbo, ab evacuationibus, & a diæta inductam, præcipue in fœminis hystericis, aut melancolicis maribus. Sed hæc & alibi distincta.

Infœlix facies, & vultus, præter morem, constanterque pallidus in his Febribus signum est obstructionum, sed, quoad finem, ambiguum, atque ad alia accidentia Animus est advertendus, & secundum illa expectandum.

Si capitis, si corporis totius diuturnam quandam molestam gravitatem experiatur æger, affectum solidum viscerum abdominis arguitur. Hæc vero continua ad malam prognosim vergunt, interpolata ad bonam, si etiam rara sint, & levia. Initio sane, atque in progressu Febrium ex chylo, integra manente causa, parumve imminuta, persint talia solent ægrotantes; veruntamen quum ea auxilia usurpata fuerint, quæ istam primariam, ac essentialem cruditatem e sanguine tollere valent, atque ea nihilominus af-

fligunt

fligunt incommoda, quæ cacohymiam adhuc redundare, commonent, vitium in ventris visceribus existere arbitrandum, quod reintegrat, & fovet illam eandem, quam Baglivus caput præ cœteris partibus sentire, observat, & notat in epistol. ad Andry de feb. mesent. Romanor.

Item si æger, post idoneas evacuationes universales, non reficiatur cibum assumens convenientem; sic si difficile digerat, satietatem sentiat, & pondus epigastrii, a cibo etiam parco, febres hasce chronicas jam symptomaticas esse, docemur; nam ista ab obstructionibus eveniunt, ex Avicenna. Hæcque per se indiferentia itidem sunt; ac si cœtera bene vertant, ne valde terreamur, si alia accedant mala, periculosum.

Alvi fluxus præsertim chylosus, sive cum externis concretis glandulis colli, aut inguinum, certum infarctus viscerum inditium, & febrium symptomaticarum, tum si retrocessum glandularum tumorem & alvi fluxus, & febris subsequantur. Hujusmodi quidem alvi fluxus sunt symptomatici; veruntamen haud semper periculosi; perniciosi habendi, si quantitate, qualitate, & duratione modum excesserint, & morbo fractis, & senibus. Nisi autem enormes fuerint, atque obstinatiores, opportunis auxiliis paulatim corrigi valent.

Deterior aliquando alvi suppressio, aut tarditas, quæ, in morbi præsertim declinatione, tanquam obstructarum glandularum signum merito habetur; nequissimum, si omnimoda fuerit, recrudescentia enim febris certo expectanda; sola vero parcitas facile tollitur, neque timenda, si copiosa, & crassa interim secernatur urina.

Urinam nigrescentem inter lethalia symptomata aliquis absolute poneret, si tamen non perseveret post remedia, bona spes; secus res male se habet. Talis urina liene obstructo aliquando reddi consuevit. Urinæ hypostasis, seu nubecu-

becula lateralis indicat non gravem, neque eam, quæ nullo modo concoqui poſſit, cruditatem ineſſe; attamen viſcera obſceſſa, & longitudinem morbi præſefert; ac ſi favorabilia fuerint temperamentum, ætas &c. bonum, aliter malum. Lateralis concoctio hæc, & mutila in chronicis evenit, ubi febris remittere incipit; Signum eſt alia viſcera concoquere, alia non dare concoctionis ſymbolum, unde inæqualis nubecula, ac lateralis, quia crudum cocto præponderat. Indeque ſi multa ſit concocta materia, licet inique pendens, medenti animos addit; ſi pauca, & reſtricta, demit.

Sudor & pulmonibus originaria præſertim Phtyſi laborantibus fere ſemper, & primarum regionum glandulis infarctis interdum contingit. De Phtyſicorum ſudore, utpote organicum pulmonis morbum, lippis, & tonſoribus notum, febremque inde palam ſymptomaticam ſequente, prorſuſque malo, quia augeſcente morbo incipere ſolet, ac inferre atrophiam, non loquor; verum de illo ſudore hic ſermo eſt, qui ſupervenit quibuſdam abdominalium viſcerum obſtructione affectis, ad morbi declinationem; nam integro in morbo ſudor a plenitudine, indeque ab expreſſione oriri poteſt. Itaque ſi ſudor chronica ex febre longa ægrotantem, tuſſi, reſpirationiſque difficultate immunem, diætam ſervantem, & probe evacuatum, in ſomno corripiat, ventris glandulas morboſas enunciabit, & febrem inde foveri. Sudor hic ſecundum quoſdam reſpectus malus eſt, ſecundum alios bonus. Malus eſt, quia chylum in prima regione, ob viſcerum impedimentum, ſuccorumque inde male ſecretorum vitium, non bene præparari, ſignificat, ita ut in corporis alimentum queat rite converti; tum quia monſtrat, excrementoſum per ſua loca conferentia non eliminari; denique quia debilitat: Bonus, quia indicat, meſentericas ſaltem vias aperiri, uberiuſque admittere alimentum, atque ex

V alia

alia parte, chylum crudum quidem, ſed non eſſe adeo craſſum, rudemque, ut nequeat per univerſum corpus diſtribui, aliquo modo regi, ac tenues cutis poros penetrare; multoque in hiſce pejor, ac periculoſior eſt interna collectio, quam ſudor.

Bona ſunt quæ ſequuntur. Febris, ex continua lenta diuturna, facta intermittens, taliſque, actis agendis, perſeverans, aliquem cruditatis fomitem adhuc in glandulis ſupereſſe, docet, ſed non tantam ipſi vim ineſſe, ut pariat in febre continuitatem.

Urina itidem in chronicis iſtiuſmodi intermittentibus diu durantibus, aut ſæpe recidivam facientibus, quotidie concoctionem exhibens, a reſſiduo organico, etſi bonæ ſpei morbo viſcera adhuc detineri, monet, indeque ali intermittentem; ſanguinem autem, & vaſa ſanguiduca per ſe ſatis bene diſpoſita oſtendit, ita ut cruditatem in ſanguinem illatam quotidie concoquant.

Abundans urina, etiamſi quadantenus cruda, abſque ſiti, in longa, beneque tractata Febre chronica quacunque, indigeſtionem denotat ex obſtructione viſcerum; ſed bona, quia monſtrat, cruditatem chyli in ſanguine quoquo modo vinci, atque in urinas faceſſere.

Ad ſigna obſtructionum prognoſtica ſalutaria in hiſce Febribus longis Dyſenteria quoque ſpectat, nondum detritis, ac jacentibus viribus ſuperveniens, maxime aliis bonis ſignis prægreſſis, quamvis febris aliquantum inde augeatur, nam cum critica perturbatione accedere conſuevit. Hæc interdum naſci ſolet, quando ſive a Natura, ſive ab Arte peccantis materiei portio evacuata fuit per ſeceſſum, hoc eſt per glandulas primarum viarum, quo Natura huic criſi aſſueta, ac irritata, etiam rudiora, & craſſiora tranſmittit, quæ, humidioribus exhauſtis, remorantur, atque ibi relicta, neque noviſſime, ob irregularem ineptitudinem, ex-

pur-

purgata glandulas claudunt. Sic igitur hæ glandulæ infarciuntur, & morbofæ reliquiæ remanentes in fanguine, in diesque modo dicto fomite adauctæ chronicam Febrem exercent vel continuam, vel fi minor fit caufæ quantitas, intermittentem. Quod fi is fenfim accedat aut ab arte, aut ab aere, tempeftateve, melioribus, aut ab aliis accidentibus Naturæ robur, ut tempore, & febre attenuet, coquatque reliquam iftam in fanguine cruditatem, atque ad excretionem infurgere incipiat, eandem per conferentia, ufitata loca, nimirum ad inteftina depellere incipit cum arteriofo fanguine, qui glandulas obftructas inveniens illis vim infert (unde dyfentericus dolor, tormina ante excretionem) per capillaria earundem vafcula fefe infinuando, quorum aliis ramis a prævio infarctu claufis, per alios pleniore copia ruens eofdem amplificat, nimifque dilatat, ac globulares, rubræque fanguinis particulæ, via patentiore facta, exeunt. Talis vero Dyfenteria haud admodum cruenta effe confuevit, fed plerunque in primis tantum dejectionibus ftriæ quædam fanguineæ obfervantur, cœterum implet chylofa liquida fimul, & muccofa faburra. Critice autem eliminata morbifica materia, quæ in fanguine fupererat, paulatim concoquetur etiam illa, quæ in glandulis hæret.

CAPUT OCTAVUM.

Effectus exponuntur variarum Medicationum, in hifce Febribus inftitutarum.

MUltæ quidem, variæque funt methodi medendi hifce, fub quocunque titulo, ac nomine habitis Febribus, fereque omnes perpendi (eam omitto, fi qua eft alicujus regionis peculiaris, ac propria, ufuque longo comprobata, quam unam poftulare videatur climatis diftincta ab aliis confti-

ſtitutio, per alios prævios morbos, & hominum corpora, & per conſequens has febres alterans, inducendo anomala quæ-dam ſymptomata; quæ cum particularis ſit, nihil ad noſtram rem) atque aliorum curationes attente æque, ac meas ob-ſervans effecta remediorum, exituſque adnotavi. Auctorum etiam, ſuper hæc, opiniones, & dogmata practica conſide-ravi, ac morborum hyſtorias. Alii alia ſentiunt. Antiquo-rum præſtantiores doctrinæ, quam Recentiorum eorum, qui ab illis toto Cœlo diſſentire magnum reputant. Nul-lam tamen (licet apud aliquos aliqua bona reperiamus) le-gi hactenus, vel audivi integram, ſartam, & tectam me-thodum medendi his Febribus; immo aliquæ compertæ, de-prehenſæque medendi rationes, neſcio quibus principiis in-nixæ, procul ab ægrorum lectulo inventæ, generales, ac ſuperficiales, quæ vel parum, nihilve proſunt, vel ſympto-mata accerſunt, cœteroquin non ſequutura, atque in diſ-crimen ægrotantes adducunt, ex iiſque non pauci miſere pereunt. Obſervationes autem, quæ ab aliis traduntur, minus tutæ, quam quæ propriis ſenſibus, propriaque ani-madverſione colliguntur, præſertim ſi uni non fiditur, ſed repetitis, ac ferme perpetuis. Porro non ſola culpanda quædam Medicorum remedia, verum & quæcunque a do-meſticis in ægro alendo, regendoque perperam, maleque ge-ſta, jam ante præmonui, addoque ipſius ægrotantis in vi-ctu perpetrata delicta. Quoniam vero diſcitur etiam ab erroribus, atque defectibus, ſymptomata in his Febribus in-de nata afferam, ut, quæ ſint genuina morbi, & quæ in-convenientium circa ægrum actorum ſoboles, quiſque digno-ſcere, tum hunc vel illum morbi ejuſdem progreſſum, fi-nemque ab ipſis expectare, ac prædicere poſſit, & ſimul methodos abſurdas vitando, optimam viam ſeligere valeat.

Ephemeræ profecto (quum Natura cito ſentiat inva-dentem morbum, ac per ſe ut plurimum expellat; cum-

que

que vehementia febris, innappetentia &c. cibum in ea capi non ſinant, vixque aliud præter aquam admittat æger, & calore intenſo febris afflictus alium non patiatur ſuperinduci, ex quibus cauſæ augeantur; neque ullum tam cito remedium adhiberi ſoleat, aut ſola ſanguinis miſſio, quæ utilis, nonnunquam adminiſtrari) raro alterantur, aut viginti quatuor horas, duoſve dies prætergrediuntur.

Ex acutis minoribus Catarrhales ſi, ſpreta conditione morbi, neglectaque victus ratione, vinoſis etiam tententur liquoribus, ut vulgo fit, ad catarrhum, quod ajunt, concoquendum, in ſanguineis potiſſimum temperamentis, orgaſmo, in nimio, cruditateque referto ſanguine, parto, depromitur illuc peccans materia, ubi pars primum laboravit; cumque ea diſtincte affecta aut caput ſit, aut pulmo; ſi primum, illud dolore inconſtante, atque hebetudine jam gravatum vel in acutum continuum dolorem, vel augendo febris gradum, in lethargum paulatim iſti errores inducunt. Si pulmo, hic tuſſi, ſeroſoque viſcido affluxu debilitatus ſive in Peripneumoniam, ſive in Phtyſim inde labitur. Prima ex tuſſi, atque ex febre adauctis, difficiliore reſpiratione, pectoris oppreſſione majore, capitiſque dolore aſſiduo quidem, ſed tuſſi valde exacerbato, accedere dignoſcitur. Secunda ex longitudine morbi, ac ſemper crudæ materiei expectoratione, dolore ad ſternum, & ſpinam non raro erumpente, & catarrhali febre ad hæcticam ſeſe componente proſpicietur.

Rheumaticæ non raro in diuturnos, atque ad plures menſes, etiamque ad annos, perſeverantes dolores deſinunt, ſi ab initio laceſſitæ fuerint ſudorificis; nam materiæ crudæ portio in his febribus fere extra circulationem deponitur, qui vero eam per ſudores movere, atque eliminare conantur aliam materiam e ſanguine extra circulationem pellunt, intra fibras muſculares, ac tendinoſas, atque in ipſas eaſdem; etenim perſpiratio in plenitudine cruda nequit moveri.

veri. Sic vidi hasce febriculas in juvenilis ætatis florem prætergressis, qui eas neglexerunt, immo assiduis, violentisque corporis laboribus non pepercerunt, attenuata inde cruditate, atque aut multa, aut omni ad ista loca e massa communi delata, ac defixa, artuum dolores cum debilitate quadam, ac motus difficultate, admodum longos abeundo reliquisse; quibusdam autem, ob attenuantia, absque evacuationibus, diæta, ac regimine, necessariis, in cruditate integra, usurpata, ac ob male habitas istiusmodi Febres Rheumaticas, artus morbose, perpetuoque contractos; nonnullis dorsi spinæ enormem gibbositatem inductam cum admiratione perpexi, natis ab inæquali materiei affluxu, & decubitu (unde musculi alii obstruuntur, seu quoquo modo infarciuntur, atque impediuntur, tum stamina ipsorum nervea comprimuntur, hincque eorum remittuntur fibræ, dum antagonistæ spiritibus abundantioribus concurrentibus, ac meliore, plureque derivato sanguine, nimium, semperque tenduntur) confirmatisque convulsionibus, ac turpi membrorum figura ab morbi vetustate, calloque quodam obdurata.

Demum Acutæ minores in genere illæ in chronicas, pro alterutra dispositione, Hæcticas, vel Hyppocondriacas, evadunt, quæ cum pulsu duriusculo linquuntur, propter omissam, aut nimis parcam, aut non repetitam, quum opus erat, phlebotomiam. Atque hæc ipsarum in chronicas degenerationis omnium est frequentissima causa. Tum in chronicas hæ desinere consueverunt, si, iisdem retusis, verum non ablatis febribus, concedatur ægrotis usus vini, sanguineis temperamentis potissimum, bonoque in clymate.

Ex Acutis vero majoribus Quotidianæ nimio, pro morbi qualitate, quæ pertenuem exposcit, victu tractatæ gravissimæ fiunt, ægrumque quasi ex insidiis oppressum suffocant. Quod si aqueo potu æger repleatur, hæ Febres de facili in Ascitem delabuntur.

Acu-

Acutas alias hujuſmodi, quæ per non paucas horas remittunt, in calidis, & humidis corporibus, ſucci plenis, qui, unica, parciore, celebrata ſanguinis miſſione, abſque ſeceſſu aut arte excitato, aut ſpontaneo, eoque abundante, ſaltemve copioſa fluente, & craſſa urina, per diaphoretica curare contendunt interdum efficiunt, ut hæ ipſæ in Aquam intercutem cum doloribus tranſeant, expulſa violenter ad membranam adipoſam, quæ & muſculos, & fibras, & habitum cingit, crudæ ſaburræ portione; *neque vero Aqua intercus, ſi ex acuto morbo cœpit, febrim ſolvit, ſed doloribus torquet, atque interficit.* Hipp. in præſag. Aliæ ſimiles per ſimilem medendi methodum alia partium incommoda ſupererogare ſolent, quemadmodum in pueris, & ſenibus debilioribus ſtuporem, comatoſos affectus nonnunquam pernicioſiſſimos, & lethales: membrorum, & medii etiam corporis reſſolutiones; in denſioribus, robuſtioribuſque hominibus dolores acutiſſimos, fixoſque capitis: delirium, indeque tardius excedentem ſtolliditatem; in aliis tandem crudos, ac periculoſos abſceſſus, duros, multum, diuque affligentes, parotides &c. Hiſce affinia detrimenta, in cruditate multa, quibuſdam afferre poſſunt decocta amara, tum diuretica quædam, &, aucto morbo, ſtupentibuſque Medicis, & morbi pravitatem immerito accuſantibus, paulatim mortem invehere, ſicuti & ſupradicta diaphoretica. Adeo methodus iſta, quæ parum ſtimulat, parum evacuat, parumque Naturam debilitare videtur, indeque innocentiſſima, atque optima vulgo habita, eſt pernicioſa!

Aliquæ ex ſimilibus Acutæ Febres, ſed præſertim calidiores, minuſque remittentes, per ſudorifera in Phrenitidem præcipitantur, confuſa magis, quam a prænotatis diaphoreticis, morboſa materia cum ſanguine, unaque ad cerebrum miſſa. Sanguis per carotides ad cerebrum purior aſcendit; gravior nanque, & viſcidior tendit deorſum; ſi

vero

vero massa communis, chylosa cruditate referta calefacientibus, acribus sudorificis simul conturbetur, stimulatisque vasis, violenter ex corde per carotides explodatur, sanguis vitiosus, secundum totum, ad cerebrum pergit, unde in tenuissimis vasculis tortuosis, atque in mollissima materia, vix quidquam resistente, aut fulciente constitutis, ab rudiusculo fœculento fixa inducitur inflammatio. Nonnulli quasi declinante continua febre, sed accessiones habente, per sudores jam evasisse videntur, quiescente cum profusissimo sudore accessione; sed crassiuscula viscida, & glutinosa remanens, spirituosiore parte, & tenujore sanguinis per violentes sudores exhalata, rebellior, quæ ab accessione collisa, & cum sanguine rarefacto mixta, finita accessione, vix apparebat cruditas, rursum unita accessionemque renovans ægros viribus destitutos, atque ob id minus morbum sentientes, ac demonstrantes, repente, atque inopinato occidit. Aliæ in malignas, proruptis, maxime initio, sudoribus, facessunt; idque ex alibi traditis perspicuum esse potest; siquidem causis implentibus, tardam, inæqualemque sanguineam massam facientibus altera a sudorificis internis additur diversarum facultatum, nempe confusionem, & stimulum salinum inducens, rarefactionem humorum, distractionem vasorum, lateralem symptomaticam sudoris expressionem; quibus oppositis de causis, quid violentissimum Natura patiatur oportet, atque extremæ passioni non nisi per extremum conatum, morbumque nequissimum adversari contendat. Insuper calor omnia simul, crassa cum subtilibus &c. miscendo, sudor liquidiorem, melioremque partem excernendo, duo prorsus diversa, & quodammodo inter se pugnantia præstant, utrunque tamen ad putredinem faciens. Idipsum de calidiore regimine, sudorem promovente, intelligendum. Mox recensita caloris damna paucis, sed aureis verbis expressit Celsus, Medic. lib. 1. cap. 9. *Calor con-*

coctio-

coctionem prohibet, sudore digerit, obnoxium morbis pestilentibus corpus reddit.

Dictum sane fuit, stupores, comata, convulsiones, deliria esse symptomata Febribus hisce solemnia, & non raro ipsam malignam putredinem in iisdem nasci; veruntamen haud omnes Febres acutæ hisce per semetipsas suscitandis aptæ sunt, neque eadem omnibus ægrotantibus afferre consueverunt. Comata, convulsiones, deliria fere per se ingerunt Febres verminosæ dictę, tum opprimentes insidiosæ, quæ gravissimæ a nobis nuncupantur, tum pessimæ, seu malignæ. Comatosi facillime fiunt pueri, habitiores, senesque: proni in delirium sunt ægrotantes, quibus caput antea infirmum, tum quibus cito, ac per se oboriuntur tendinum subsultus, tum denique quibus sponte lingua nigra fit, atque arida. Quænam autem Febres ex se ad malignitatem dispositæ sint, satis alibi significavimus. Aliis in casibus si hæc mala occurrant, ut plurimum sunt effecta pravorum remediorum, diætæ, aut regiminis.

Quæ vero jam adsunt perniciosa symptomata, modo memorata, perniciosiora reddit calidior methodus; sic inter alia jam deliros febricitantes, lethargicosque plerunque perdit consuetudo apponendi eorum capiti gallinas per spinam scissas, sive columbos, sive catulos; hæc enim Phrenesim veram accersunt, calefaciendo, morbum insuperabilem faciunt, ac omnino lethalem, ægro non evacuato, neque satis purgato, adhibita: siquidem, ex lege hydrostatica experimentali, ubi major calor, huc major gravioris materiei confluxus. Malignas autem amplius exacuit methodus ista per procuratum, impurgato corpore, sudorem; quod enim impuri, ac putridi existit in primis regionibus in sanguinem allicitur, & ex citata lege, & quia sudore sistitur alvus; tum confusio in massa communi gignitur pejor, intenditur putredinosus motus, pestilentior fit corruptela, & ab rare-

facta, putrescente massa, expressa tenujore plurima liquidiore parte in sudores, ac miasmata, extruduntur per relaxata lateralia lynphatica sudoris vehiculo multæ simul, in symptomatico nisu, sanguinis corrupti particulæ, unde peticulæ, seu maculæ obscuræ, lividæ, carbunculi &c. atque in his anxietates lethales, frequentes miserrimi angores, mors.

Ex hisce constat, sudoriferam methodum curandis hujusmodi ægrotis perniciosam esse; attamen quoniam & usitatissima est, & quamvis plerisque male vertat, nonnullis etiam salutem affert, normam hic certam statuere, opportunum duco; non enim perpetuo, & absolute prohibendus sudor. Ac primo lentus calor, vixque naturali similis permultarum Febrium inæqualium, tum pulsus earundem tardus, rarusque, crassissimam existere cruditatem, ac viscidissimam denotant, quomodo autem crassissimam, & viscidissimam materiam duces per sudorem? Neque illud Sanctorii: *Humores podagricorum, etiamsi crassissimi sint, solum per modum vaporis ressolvuntur*, quidquam suffragatur; nam humores podagricorum tanta copia non sunt, ut Naturam opprimant, cum immo ipsi primis statim diebus ad ignobiles, extremasque corporis partes ab eadem strenue in brevi febre depulsi sint, ac relegati, ubi per diætam, perque longum tempus concocti in venas, inque sanguinem paulatim resorbentur, cum eoque puro gutta una, puta, vel altera illorum quotidie miscetur, & in totum dispergitur, ac motu vasorum, circuitioneque ulterius attenuatur, ita ut humores iidem per secretiones, etiam tenues, dissipari possint. Harum vero nostrarum Febrium cruda peccans materia in sanguinea massa adeo abundans est, ut Naturam quasi vinciat, impediatque motum cordis, & arteriarum, concoctioni, ipsique manifestæ febri necessarium; sine concoctione autem nullus criticus sudor. Absit ergo paritas. Deinde in

Febri-

Febribus inæqualibus, acceſſionem aperte diſtinctam, pulſuſque palam inæquales habentibus, nequaquam convenit unquam, donec tales ſunt, arte promovere ſudorem; quomodo enim æqualis ſudor criticus inſtituetur in craſi maſſæ communis, & ejuſdem circuitione, inæqualibus? Non per attenuantia, & ſudorifera, nam præterquamquod, tali in cruditate, ſupra recenſita mala pariunt, inſuper magis diſpoſitum, minuſque iners ſemper primum, magiſque ſolvetur, & per ſudorem fere aſſidue expreſſum ciebitur, quod ſymptomatice præſtat Natura, docente Hipp. 4. Aph. 42. *Sudor multus, frigidus, vel calidus, ſemper fluens, frigidus majorem, calidus minorem ſignificat morbum*, ideſt morboſum Naturæ conamen, & ſymptomaticum, quod clarius enunciat, 4. de morbis: *Et ſi quis febre oboriente ab omni humore, non adhibeat idonea, invaleſcet morbus, quantum ipſe humores ſuperaverit, hoc modo. Caleſcente ſanguine, exhalat maxime, per hunc, humor aquoſus, qui febri eſt infeſtiſſimus, relinquitur autem pinguis, &c. qui bilioſus eſt, & febri maxime nutrimentum eſt.* Denique in omnibus, atque etiam æqualibus, dolores partium, oſſium &c. monſtrant, materiam morboſam cum anguſtiorum vaſculorum diametro minus aptam proportionem habere. Quidam tamen tam ex inæqualibus, quam ex æqualibus Febribus ægrotantes, maximeque ex ſecundis, per ſudoriferam methodum ſervantur, quia rarefacta maſſa communi, vaſiſque magnopere diſtentis, ſummopereque retardata, conturbata, atque confuſa maſſa eadem, vel per obortam malignitatem diruitur peccans materia, & extreme percullſa Natura extremo conatu nonnunquam reſiſtentiam vincit, pellitque ad ſecretoria omnia: conferentia, & non conferentia; vel in aliis, rarefacta maſſa, expanſiſque vaſis, rudiuſcula minus diſtinguuntur, & minus obſtruunt, atque exceſſivo calore, ac tempore etiam eliquantur; quamobrem vi illata vaſis tenuibus

lynphaticis, cum aliis humoribus exit quoque cruditas; unde aliquibus paulatim ſalus. Veruntamen quanto plures in malignis intereunt, victa Natura, adeo ut in peſtilentes evadant malignæ! Quam multi, pluribus ſimul obortis ſecretionibus non ſufficientes ſuccumbunt! Quot ſunt, in ipſis æqualibus, qui phrenitici pereunt, aut convulſi, defixa in cerebri minima vaſcula inflammatione! Non pauci, poſt horrenda pericula, ſymptomata, ac cruciatus, propemodum ineffabiles, ab acuto emergunt, atque in chronicos delabuntur; omnes demum qui ſervantur quam longam, afflictamque, ac morbo parum diſſimilem, convaleſcentiam agunt, demiſſis ſpiritibus, humidoque balſamico conſumpto, ſolidoque enervato! Neque in principio igitur, neque in augmento ſtatuque harum Febrium, non donec adſunt dolores partium particularium, aut totius, ſive continui ſint, ſive inconſtantes, ſcilicet non ante evacuationes craſſiores, nec ante concoctionem, ſive inæquales Febres ſint, ſive æquales, ſudor arte provocandus. Reſtat, ut videamus, num poſtea tuta ſit, utiliſque ſudorifera methodus, quum nempe urina bene concocta apparuerit, inter ſtatum, & declinationem. Poſt idoneam itaque ſanguinis detractionem, copioſamque purgationem, plurimæ harum acutarum Febrium, notabiliter imminuta continua, in acceſſiones evidentes, ac diſtinctiores, quæ ſine frigore quoſdam, quoſdam & cum frigore aggrediuntur, faceſſunt, & urina ipſa probe concoquitur. Neque in hiſce prodeſt remediis promovere ſudorem, quinimmo periculoſum. Concocta quidem multo magis, quam in principio, augmento, ſtatuque adventante, eſt materia. Sed quomodo, quæſo, concocta eſt in ſanguine talis materia? Ipſa acceſſionum patentior diſtinctio a reliqua febre, & ipſe acceſſionum earundem fortior vigor, oſtendunt, materiam hanc in concoctione congregari, & magis, quam antea obſtruere fines arteriarum, febrileſque tales paroxyſmos

non

non raro & frigore inceptos generare ; ideoque & Antiqui obſervabant, horrores interdum præcedere criſes, quia concocta ſæpe conglomeratur materia, & inde obſtruendo canales, univerſam circuitionem ſanguinis valde retardat. Tandem intueamur, quomodo ſit concocta materia in urina, quæ maſſæ communis ſoboles eſt, ac veluti quædam imago. Nonne ideo concocta eſt urina, quia excrementum chyloſum maturum, atque ſubactum, *album*, *leve*, *& æquale* apte ſeparatur a reliqua urina, ſimulque concurrit in quandam nubem, quaſi centrum tenentem, ſeu infra medium vaſis exiſtentem ? ita profecto ; concocta igitur eſt, tanquam monſtrante Natura, ad alvinam ſecretionem magis, quam ad ſudorem, aut perſpirationem, in quibus excrementa uniri non debent, ſed diſpergi ad univerſam corporis circumferentiam ; quod vero unitur, ac præparatur in maſſa ad alvi certam ſecretionem, & urinæ, improbum eſt contrario Naturæ niſu ſpargere rurſus per ſanguinem ad aliam oppoſitam incertam ſecretionem, cum diſcrimine prædictorum ſymptomatum, aut ſaltem recrudeſcentiæ morbi. Concocta ſit ad perſpirationem in ſano corpore perſpirabilis materia, tamen ſi, frigore improviſo repellente, rurſus refundatur per ſanguinem, non ne Ephemeras, aut his etiam longiores ſuſcitat febres ? Concoctum eſt pus, & tamen ſi diffundatur per ſanguinem, non ne febres inducit valde periculoſas, quemadmodum ſecundarias in Variolis ? Nunquam ergo bonus erit ſudor, quiſpiam inducet. Tunc ſolum, reſpondeo, tutus, utiliſque ſudor in hiſce Febribus, quando poſt phlebotomiam ablata ſit pars craſſa aut purgantibus, aut ſaltem ſpontaneo abundante ſeceſſu, quæ autem remanet tenuis ſit, & diſpoſita, quod arguetur ex febre humili facta, abſque manifeſta acceſſione (etenim citra has conditiones malus ſudor vel ex Hipp. ipſo probari poteſt, 4. Aph. 56. *Febricitanti ſudor ſuperveniens, febre non deficiente,*

ente, *malum*, *prorogatur enim morbus*; non dicit: Febris non deficiens, ſudore ſuperveniente, malum) & ſine doloribus, etſi inconſtantibus, vagis &c. tum ex urinæ hypoſtaſi tenui, diaphana, rara, lata, aurei coloris. Si cum his Natura per ſe vergat ad ſudorem, is non eſt ullo modo impediendus, ſed neque ſollicitandus nimis, ſatis eſt aqua ebullita cum aliquo amaro-blando, tepida epota, eum conſervare, criticus enim eſt, veruntamen in inæqualibus rara avis: unicum, factis prædictis, febreque imminuta, & æquata, mihi videre licuit, quem ſola diæta, & regimine ad metam perduxi; non ita rarum in æqualibus.

Non deſunt qui phlebotomia, ſæpe repetita, ſanguinis phlogoſim in acutis Febribus, cujuſcunque claſſis, ſibi tollendam putent; veruntamen cauſa efficiens non eſt proprie ſanguis, ſed chylus crudus, hetherogeneus in ſanguine; iſti itaque abundantiore, debitoque crebrius iterata ſanguinis miſſione enervant ſanguineam maſſam, vires motrices, ſecretioneſque minuunt, unde major cruditas, quæ vel mortem paulatim infert, vel ſaltem morbi longitudinem, & convaleſcentiam tardiorem, periculoſioremque. Quod ſi unquam phlebotomia in febrium frigore celebretur, ea maxime lædit, & quo major eſt horror, eo illa periculoſior, eamque interdum mors ipſa inopinato conſequi poteſt; nam tunc temporis coacta eſt, denſa, & ſtricta ſanguinea maſſa; quare ſanguinis prætioſior, fluidior, & volatilior portio, quæ eodem tempore ſummopere neceſſaria eſt ad ſervandam circuitionem, atque ad irrorandum, penetrandum, calefaciendum coactum reliquum, per ſanguinis miſſionem, tunc temporis inſtitutam, educitur, cumque ea ſit ſpirituum proxima materia, vires cordis, & arteriarum, quæ hunc eundem compactum ſanguinem obſtinate admodum reſiſtentem, ſolvere, ac promovere deberent, franguntur. Perniciosiſſimam in febrili frigore phlebotomiam adnotavit celeberrimus

Lan-

Lancysius, in equorum epidemia: *Id tamen discriminis animadvertendum fuit; scilicet equos, si frigore correpti nondum febrili æstu incaluerint, & sanguinis missione curati sint, plerunque interiisse, aut diutissime conflictatos ægre convaluisse.* In chronicis vero ad Hydropem viam sternunt istiusmodi missionum sanguinis abusus.

Alii post phlebotomiam in magni momenti Febribus totam rem committunt vexicantibus statim appositis, ad nimium repente confugientes, & ab excessu Clinicorum præteriti sæculi, qui nimium sero illa imperabant, contrario excessu discrepantes in periculum ægros adigunt, siquidem in permultis ex his Febribus cruditas in principio male mixta est cum sanguine, quo fit, ut frigus sæpe ingruat, quemadmodum in inæqualibus descripsimus, Boheraavve autem, de frigore febrili, hæc habet: *Frigus febrile omni eo, quod valide stimulat, quocunque demum titulo tentatum, dedit sæpe insanabilem postea inflammationem. Hinc vexicantia, & similia damnosa sunt.* Hæc nanque, inducendo massæ sanguineæ repentinum impetum, per solida lacessita, crudam saburram, inæqualiter positam in debiliores impinguat partes, quæ exinde semper magis relaxantur, & accipiunt, dum aliæ contrahuntur, & expellunt, hinc *insanabiles* ex facili subrepunt *inflammationes*. Ex alia vero parte nihil boni ab iisdem expectandum in Febrium principiis; nam tunc cruditas & nimia est, & nimis crassa, neque vascula lymphatica peragrare potest, quum nondum per ipsum sanguinem valeat quocunque pervadere; inepta igitur ipsa est ad hanc expurgationem; quapropter ex tali massa, per vexicantia, solum tenue quid extrahitur, frustraque mulctatur æger, cum illa non sit via toti, atque integræ cruditati movendæ; verum crassior, majorque pars primum recte ducitur per alvum; postea autem & vexicantibus tutior erit locus.

Baglivus in his Febribus, quas ille mesentericas vocat, sine

ſine præmiſſa phlebotomia, purgantia præſcribit. Hæc in juvenibus, athleticiſque temperamentis, maribus præcipue, abſque prævia miſſione ſanguinis, fere ſemper turbas excitant, ac tormina ventris, vires frangunt, parumque ut plurimum de morbo detrahunt, quum maſſa ſanguinea ad ſecretionem prædiſpoſita non ſit, atque omnia ſint plena, faciliuſque tenujor pars, & ſpirituoſior ab ſtimulatis vaſis exprimitur, quam viſcidior, & craſſior, quæ primaria eſt morbi materia. Quamobrem adhibita, ſine miſſione ſanguinis, purgantia, minus de cacochymia, quam de viribus dementia, ſi ægrotans debilis ſit, certam necem inferunt.

Hic vero adnotandum, quod ſi ab congrua, beneque præſcripta, poſt phlebotomiam, purgatione, acceſſio ejuſdem, vel ſequentis diei & conſuetam aggrediendi horam præveniat, & multo intenſior, fortiorque exeratur, ac diutius affligat, nonnullis fortaſſe rei male actæ ſuſpicionem incutiet; ſed temere; ratio ex theoretico deſumenda capite; nam minus periculi a febre manifeſta, quam ab oppreſſione, aliiſque inſidioſis ſymptomatis; præterea febris ipſa, reliquis opportune adminiſtratis, ſi per ſe curabilis fuerit morbus, opinione citius ceſſabit, quod repetita experientia probatum candide aſſero.

Malum dare acria purgantia in acceſſionibus validis, etiam præmiſſa detractione ſanguinis, aut in Febribus æqualibus, valde, ſemperque calidis; de hoc errore, incommodis, ac periculis inde emanantibus commonet Hipp. lib. de purgantibus: *Quicunque igitur a fortibus febribus corripiuntur, his medicamenta purgatoria dare non oportet, donec remiſerit febris, ſin minus ſaltem non intra quatuordecim dies. Carnes enim ipſorum, & ventres, quum calidiſſimi ſint, medicamentum abſumunt, & nihil depurgantur, & febris major fit, & color evertitur, & morbi regii ſpeciem præſeferunt. Commota enim bile, & non purgata, non ſorbere vult æger, neque bibere,*

re, sed omnia abominatur, & plerunque perit. Si vero detinet medicamentum, ante meridiem nihil purgatur: a meridie vero nimium purgatur, & perit. Ac si hac die superstes maneat, & una cum purgatione remittat febris, sanus fit. Quapropter in febribus vehementibus medicamenta purgatoria dare non oportet. Particulariter autem purgans in accessione, sive exacerbatione sumptum capiti perniciosissimum est, ejusdemque partis principis mala multiplicat, & auget, de quo Celsus Medic. lib. 2. cap. 12. ubi de alvi ductione, rationem affert: *Quia quod tunc infusum est alvo continetur, regestumque in caput multo gravius periculum efficit.* Fortia item purgantia prava in vomitionibus insignibus, inque fixis intestinorum doloribus, ac perseverantibus, in quibus cautius agendum.

Verum perniciosissima etiam quædam purgantia in malignis Febribus; nam a præscripto, sine selectu, validioreque cathartico, provecto potissimum morbo, fractisque viribus, æger, spiritibus reliquis repente a violenta purgatione consumptis, citissime perit: *turpis autem calamitas est*, inquit Hipp. lib. supra citato, *dato medicamento hominem occidere.*

Vix minus periculi in Chronicis, extenuato ægrotante; Hyppocondriacis enim purgantia acriora, aut nimis repetita non raro ingentem appetitus dejectionem, aut vomitiones enormes, cœteraque admodum perniciosa symptomata invehere possunt, Hæcticis vero alvi fluxum lethalem; feralem autem Tympanitidem iis, quibus in symptomaticis Febribus abdominis viscera jamdiu laborant. Malum & purgare nimis frequenter in Chronicis Symptomaticis, etsi intermittentes factæ fuerint, nam vires nimis prosternuntur, unde rursus generalis cruditas, emunguntur que nimis, crebroque glandulæ, *in locum* porro *violenter evacuatorum subeunt cruda, & in meatibus impinguntur*, unde morbus difficilior.

Oppiata, & adstringentia, ad quancunque diarrhæam in hisce Febribus adhibita: in Acutis singultum, & alia graviora symptomata, indeque vel mortem, vel longitudinem morbi, & transitum in chronicas adsciscunt; Chronicas autem essentiales, ut in symptomaticas facessant, efficiunt. Oppiata vero, quum calida sint, & rarefacientia, atque efficacia diaphoretica, ea mala insuper inducunt, quæ ex his nasci, alibi docuimus, deliria, convulsiones, inutiles sudores symptomatici, ac debilitantes &c.

Nescio quæ temporibus nostris methodus Aquam communem, simplicemque, tanquam remedium, exhibendi invaluit, quæ multum improbanda est ut inutilis, & ut damnosa. Quod ad primum, hæ Febres a Chyli cruditate fiunt, repletionem facientes; *morbos* autem, *qui a repletione fiunt*, *curat evacuatio*, non aqua; ergo inutilis. Quod ad secundum, aqua vel calida sumitur, vel temperata, vel frigida. Calida primarum viarum sordes emolliendo, & meatus chyliferos aperiendo, efficit, ut impurum facilius in sanguinem transferatur; solidum maxime relaxat, ac hebetat; atque sanguineam massam implet simul, & rarefacit; unde vasa sanguifera magis adhuc remittuntur, ac distenduntur: ex quibus omnibus febres in dies graviores emergunt, ac perquam insidiosæ, quæ ægrotantes torpidos, atque enervatos de medio tollunt. Temperata copiose epota, sicuti imperandi mos est, ventriculum debilitat, & gravat, languidos, & jam a naturali statu dejectos succos gastricos nimium humectando amplius infirmat, aqueam cruditatem vappidam sanguini infert, vasisque itidem atoniam; Et talis igitur in hisce Febribus perniciosa: Aquam intercutem inducere potest, saltemque morbum protrahere, diuturniorem, laboriosam, periculosamque convalescentiam reddere. Aqua frigida & omnem concoctionem aliarum maxime turbat, & secretiones quascunque impedit, & pectori inimica tus-

tusses excitat, huicque parti pejora minatur; hinc damnatur in Acutis. Aquæ istiusmodi simplicis usus, etiam tanquam potus, similiter reprobatur ab Hipp. de vict. rat. in mor. acut. *Aquæ porro potui in Acutis morbis nullum aliud opus habeo, quod attribuam, neque enim tussim lenit in peripneumonicis, neque sputum educit &c. præcordio mala immo pessima fit, ac biliosissima, & vires maxime prosternit, ubi in vacuitatem ingressa fuerit. Sed & splenem auget, & hepar, ubi inflammatum fuerit, & fluctuat, ac superinnatat. Nam & tardi transitus est, eo quod frigida est, cruda, ac incoctilis, & neque per alvum secedit, neque per urinas transit. Insuper autem & propterea læsionem inducit, quod a natura stercus non subducit. Si vero etiam dum adhuc frigidi sunt pedes aliquando bibita fuerit, hæc omnia multo plus lædit ad quodcunque tandem ipsorum pervenit.* Siquid igitur decumbit magis figit, ac durat potissimum frigida, quod advertit Celsus: *Aqua frigida strumas excitat.* Et re vera chronicas hasce Febres essentiales brevi facit symptomaticas, & symptomaticas insuperabiles, atque lethales. Ex dictis, quæ de Aquæ, tanquam remedii, usu sunt tradita, eadem de aquæ ejusdem crudæ, simplicisque ordinario potu habenda.

Quoniam a nocuo potu Diætę incongruæ detrimenta incepi, nunc vini in his Febribus male usurpati incommoda, ac pericula subnectam. Vinum igitur, ac similia spirituosa, fermentatione confecta, maxime integro morbo data, generaliter Febres augent, fortiores, & calidiores reddunt, accessionesque earum molestiores, longiores, & frequentiores, ita ut ad æqualitatem magis accedant; caput doloribus sævissimis, majoreque gravitate afficiunt; atque ægrotantem in convulsiones impellunt, in delirium, ac in citum interitum: hæc solemnia vini effecta sunt; interdum tamen & inflammationes internarum partium fixas facit, quas hyeme, ali-

quando malignitatem Febribus, quam magis per æstatem, ingenerare valet. Vinum sanguinem maxime, ac citissime implet; cruditatem tenuem addit, turbas facientem, vasa nimis expandentem, irritantem, summopere calefacientem; simulque spiritus vitales, animalesque crudos, & convulsivos subministrat; hinc & orgasmos inflammatorios intendit, & confusionem in febribus magnam, atque tumultum parit in sanguinis circuitione enormem, & sudores symptomaticos inducit. Avolatis autem spirituosis volatilibus partibus, ea, quæ remanent ex vino in sanguine, eundem spissum faciunt, ac densum. Hos duos vini contrarios effectus etiam vulgaris ostendit observatio; statim nanque ab eo sumpto exortus color rubicundus, calor, vasorum aucta amplitudo, rarefactionem significant; Sanguis autem de bibacibus hominibus extractus saturo-ruber, immo obscurus, nigerque densitatem ejusdem a vino natam manifestat; hinc pulsum plenissimum, ac durissimum efficit. Vinum itaque chronicas quoque alterat, ita ut ad acutas quasi extolli videantur, & nervina Hyppocondriacarum mala exaltare consuevit.

Cibus insulsus hebes tum in Acutis, tum in Chronicis cruditatem fovet; hinc Febres reddit contumaciores, & ferme quibuscunque remediis minus obtemperantes; appetitum prosternit, ægrumque facit languidiorem. Miror profecto, Medicos aliquos salem pertimescere in alimentis, dum aliis salibus, etiam fortioribus, ex triplici regno desumptis curationem pleranque committunt.

Diæta quæcunque crassa, gelatinosa, aut multum nutriens generaliter has Febres sive acutas, sive chronicas exacerbat, inopinatas, ac sine ordine accessiones superingerit, has enim fere duplicat, illisque horrorem inducit, aut illum protrahit, saltemque accessiones reddit longiores, quosdam, præsertim acute laborantes; etiam in lipothymias frequenter adigit, omnibus anxietatem, sitimque parit, chronice-

niceque decumbentes aut intenſa, auctaque febre occidit, aut eſſentiales febres citiſſime in ſymptomaticas, gravatis viſceribus, convertit; jam vero ſymptomatica febre affectis aut obſceſſas partes inflammat, aut eoſdem ſudoribus debilitat, atque in maraſmum adducit incurabilem, aut cohibitis omnibus ſecretionibus, in Hydropem. Hujuſmodi alimenta damnoſa ſunt jura nimis plena, fercula alia debito denſiora, aut glutinoſa, carnes, & pinguia omnia, atque oleoſa, quæ infenſiſſima ſunt hiſce ægrotantibus; quocunque enim titulo exhibita augent cauſam morboſam, gignunt lentorem, torporem, repletionem, indeque natam oppreſſionem, obſtructiones internorum viſcerum &c. ova ſorbilia, inter cœtera, caput plectunt, febrilem adaugent calorem, pulſus frequentiam, turgentiam &c.

Quod ad Regiminis improbi damna ſpectat, jam ea attulimus, quæ ſunt calidioris, & ſua tamen ſunt frigidioris detrimenta; & quemadmodum illud ſymptomata ſuperaddit Acutis, & Chronicis, ita frigidum tam in Acutis, quam in Chronicis ſymptomata, quæ minime ſequerentur, ſuſcitare ſolet. Frigidius itaque regimen Acutas Febres magis confirmat, alvum, & urinam ſupprimendo, aut imminuendo, atque in iiſdem inflammationes partium fixas facit; gravius enim frigidum ambiens turgentem, vagamque phlogoſim premit, & cogit, illamque ad aliquam plerunque interiorem partem determinat, in eamque figit, hinc Anginæ, Pleuritides, Peripneumoniæ, Iliaca Paſſio &c. Hæc ſignificaſſe videtur Hipp. 3. Aph. 5. de aquilonijs conſtitutionibus: *Si vero Aquilo fuerit, tuſſes, fauces, alvi duræ, urinæ difficultates, horrores, dolores coſtarum, & pectoris,* tum lib. 3. de morb. popul. *Frigiditas ea, quæ in ventre ſunt, indurat.* Horum quædam ſimilia ſymptomata nonnumquam & in Chronicas invehit frigus perceptum, ſed ut plurimum debiliora; in his enim decubitus ſæpius lentiores, & ipſi chro-

nici

nici ad viſcera fiunt, atque eſſentiales in ſymptomaticas inde migrant; illas vero, in quibus jam glandulæ infarctæ ſunt, jamque ſymptomaticas, clauſis viſceribus, ſæpe lethales reddit frigus, aut moleſtiſſimas ſaltem, curatu difficillimas, ac perquam diuturnas. Experientia generaliter demonſtrat, frigidioribus tempeſtatibus crebrius, evidentiuſque ſanguinis extracti coagulum, denſiuſque in hiſce Febribus fere omnibus, quam aliis temporibus.

Quædam paſſim tradidimus de remediorum, & diætæ incommodis in communi etiam circa Febres Chronicas, modo particularium uſitatiorum remediorum perniciem exponemus, quæ tamen ex ſupradictis eluceſcit; ideoque id paucis præſtabimus.

Chronicarum Febrium remedia, Medicis valde familiaria, ſunt jura viperata, decocta ex ſarſaparilla, & alia ſimilia dulcificantia dicta; tum decoctiones galli veteris, aut pullorum tantummodo alterantes; quæ omnia inter attenuantia connumerantur; & lactea diæta.

Quod ad prima; talia attenuantia, etiam poſt phlebotomiam, ſine idoneis evacuationibus, uſurpata crudam, impuramque maſſam perturbando, & ad ſymptomaticos decubitus diſponendo, tum Hyppocondriacas, tum Hæcticas Febres exacuunt, atque eſſentiales in ſymptomaticas vertunt; in primis porro convulſivos dolores mirifice intendunt, quare vigilias, & agitationes excitant, atque ululatus extorquent, quoſdam & in paralyſes adigunt ægrotantes, tandemque in mortem; in ſecundis, nempe in hæcticis, copioſiores reddunt ſudores, colliquativos dictos, calorem hæcticum fovent, atque in maraſmum, & tertium gradum ægros impellunt, qui ferme lethalis.

Diæta lactea hyppocondriacis fere ſemper noxia, hiſce ingerit, ſive auget cibi faſtidium, digeſtionum, & ſecretionum tarditatem, languorem, & pulſus obtuſos; Phtyſicis

quo-

quoque hyppocondriacis lacteam diætam rarius convenire, asserit Morton. Hæc eadem diæta Hæcticas, ante evacuationes necessarias, si essentiales sint, hebetiores quidem, verum obstinatiores præstat, repletionem enim, cruditatem, hujusque lentorem amplificat, & viscera opprimit, atque obstruit, præsertim lac bubulum; quamobrem utrasque brevi facit symptomaticas. Multum etiam obest chronica Febre symptomatica ex abdominalium viscerum infarctu laborantibus, lac integro morbo datum, quorum multos reddit incurabiles. De hoc autem fusius tractabimus.

Alia quædam, quæ certum damnum evidenter non accersunt, omissimus alibi, ubi locus videbitur, examinanda; effecta enim consuetissima omnis methodi minus congruæ hic exhibenda erant; ulterior autem discussio, & recta, tutiorque remediorum, diætæ, ac regiminis norma maxime in sequentibus.

CAPUT NONUM.

De Sanguinis Missione, ad curandas hasce Febres adhibenda.

ISTis reprobatis Febrium ab chyli cruditate productarum medicaminibus, tuta, efficaxque methodus eisdem medendi est stabilienda, quod nullo modo melius mihi videor præstiturus, quam remedia ipsa cum indicationibus conferendo, confirmando, objectaque evertendo, ac diluendo.

In hisce Febribus composita plethora dominatur, hoc est sanguis cacochymus superabundat, uti satis hactenus demonstravi, totus autem Antiquorum Senatus generatim in plenitudine cacochyma phlebotomiam, ducunt, esse necessariam, inter quos Cornel. Celsus Medic. lib. 2. cap. 10. de sanguinis detractione per venas, ait: *Si materia vel deest, vel integra est, istud alienum est; at si vel copia sui male*

le habet, vel corrupta est, nullo modo melius succurritur. Sennertus vero lib. 5. Part. 2. Sect. 1. cap. 7. de Venæ Sectione hæc ex præmissis summatim inducit: *Ex quibus patet, utilem esse posse venæ sectionem dum sanguis vel putrescit, & corrumpitur, vel peccat copia*. Distincte porro in Acutis inquit Hipp. de vict. rat. in morb. acut. *Verum in Acutis morbis venam secabis.* Gallenus denique lib. 2. methodi, tanquam monitum constituit: *in omnibus febribus putridis saluberrimum esse sanguinem mittere.*

Sequuntur dogmata, quæ in morbis phlebotomiam ipsam eandem purgantibus, omnino judicant, esse præmittendam, & Hipp. itidem de vict. rat. in morb. acut. num. 36. ubi morbus magnus, & acutus & phlebotomiam, & medicamentum exposcit, primum phlebotomiam, docet, esse adhibendam, postea vero dandum medicamentum; atque idem lib. de loc. in homin. sic ingeniose loquitur: *Medicamentum tamen, donec corpus floridum est, ne propinato, non enim vacuatur, nisi parum, utpote corpore turgente*, deflorat autem corpus, & turgentiam opportune tollit phlebotomia. Porro ex Galleno sic Ballonius: *Si phlebotomia corpus evacuaveris, catharticum venas, arterias, & inanes regiones inveniet, non oppletas, ita facile in totum corpus pervadet ad attrahendos succos, & facile educendos, ob eorum fusionem, & tenuitatem*. Præclara sane Galleni commentatio ad prænotatos textus Hipp. nobisque admodum rationalis doctrina! Quoad enim faciliorem eductionem, Natura oneris parte detracta per venæ sectionem, id, quod reliquum est, minus incommode movet, ac digerit; siquidem Natura & plenitudine universali, & chylo inutili, morbosoque gravata duas habet resistentias, misso sanguine, unicam habet, nempe cacochymiam solam, quam crebriore, & liberiore vasorum concussione erudire, & a sanguine quoquo modo separare valet, ejusdemque sic dispositæ etiam crassiuscula, & viscida

cida excrementa ad conferentia ſecretoria depellere, adjuvante cathartici ſtimulo magis attenuante, ac determinante. Quare ſic inſtituta phlebotomia & minuit, & quantum ſatis eſt ad ſeceſſus ſecretionem, concoquit ſanguineam maſſam.

Phlebotomia itaque in hiſce Febribus primum debet eſſe remedium; atque ex brachio, in quo minor, ac torpidior eſt pulſus (ut plurimum enim alter pulſus altero notabiliter major, plenior, frequentior &c.) ea eſt facienda, ut etiam revulſione ad æqualitatem circuitio informetur; atque ex largo foramine ſanguis, pro menſura repletionis, virium, & ætatis, ſic in pueris ad vi. in quibuſdam ad viii. in pluribus ad x. in nonnullis ad xii. uncias circiter, extrahendus; idque temporis ad hanc eligendum eſt evacuationem, quo declinavit, multumve remiſit febrilis acceſſio; quia tunc magis mixta eſt, ac facilius circuit maſſa communis; iſtud plerunque eſſe ſolet horis matutinis; ſecunda itaque, aut tertia eſt opportuna; horæ vero, quibus maxime exacerbatur morbus, ex Celſo, vitandæ, qui Medic. lib. 2. cap. 12. habet: *ubi febris vehemens eſt, in impetu ejus ſanguinem mittere hominem jugulare eſt, expectanda igitur intermiſſio eſt, ſi non decedit, cum creſcere deſiit*; nam in augmento febris, quod plerunque pomeridianis horis ad veſperas accedere conſuevit, corpus quid violentum patitur, quod augetur a phlebotomia, quæ vires divertit, ac debilit, pugnæ neceſſarias.

Non raro evenit, ut ſatis non ſit unica ſanguinis eductio, præſertim in gracilibus, qui ſanguine abundant, idque colliges vel ex pulſu nimis pleno, turgente, ac nimis renſo, poſt celebratam ſanguinis miſſionem, quietis diebus, poſt quibus nulla facta fuit artificialis inſignis evacuatio; tam enim phlebotomia, quam catharſis eodem die alterat pulſum, & ferme pleniorem effingit, quod nemini Clinico-

 rum

rum ignotum arbitror, idque a commotione, & rarefactio-
ne quadam ab iſtis ſanguineæ maſſæ inducta contingere. Præ
cœteris itaque repentendæ plebotomiæ neceſſitatem indicat
pulſus in his Febribus aut ſemper plenus, nimiumque reſi-
ſtens, aut ſaltem quibuſdam temporibus aliquatenus durus
obtuſuſve, licet inæqualiter; Vel ſi primæ phlebotomiæ
biniſque purgantibus, alterne cum alterante uſurpatis, vix
parumve cedit morbus; eoque magis ſi creſcat aliquod ſym-
ptoma, ut capitis dolor &c. Vel ex urina, quæ antea lau-
dabilis fuerat, ſi confuſa appareat, ſeu etſi coloris non mali,
attamen neque quidquam ſeparet, neque corrumpatur, ſive
ſæpe quidem, ſed parce mingat æger. Hæc quippe oſten-
dunt, Naturam ab ſanguinis ſarcina adhuc premi, neque
concoctionem morboſæ materiei perſequi poſſe, neque, ut
oportet, excernere, niſi alia rurſus ſanguinis detractione
Medicus ipſi ſubveniat. In hiſce omnibus niſi venæ ſectio-
nem iteres, adhuc periclitatur æger, ſi adimpleas, citiſſi-
me in meliorem mutabitur acuta, aut ſaltem eſſentialis;
quæcunque ea ſit, hujus generis Febris, & urina rarius qui-
dem mingetur, ſed quacunque vice abundantior, probeque
concoquetur.

Nihilominus quidam caſus dantur, in quibus venæ ſe-
ctio etiam poteſt omitti, nempe ſi in infantes, aut in pri-
ma pueritia conſtitutos inciderint hæ Febres; exiguam enim
pletoram generare ſolet corpus, quod creſcit, & ut rarum
maximopere perſpirare conſuevit, ex Sanctorio. Neque tamen
hoc tanquam omnino perpetuum tenendum, nam ſi morbus
urgeat cum ſimptomatis, vel diutius perſeveret cum pleno
ſeu turgidulo pulſu, his quoque conveniet ſanguinis miſſio;
atque hoc auxilium ab hac ætate minime alienum eſſe
docuit ipſe Celſus Medic. lib. 2. cap. 10. de ſang. detract.
per venas.

Alter caſus eſt, in quo neceſſarium aliquando non
vide-

videtur mittere ſanguinem, quum nempe in primis viis dura hærente materia, atque alvum ſupprimente, ex impuro, ſuam excretionem non habente, atque per lactea vaſa ſimul cum chylo ingrediente incipit lædi ſanguis; quia tunc ſola cacochymia peccat; veruntamen id in morbi tantummodo primordiis nonnunquam accidere, & admitti poteſt, antequam eadem cacochymia & ſecretiones impediendo, & denſitatem inducendo in dies majorem, utramque pepererit plethoram: ad vaſa ſcilicet, & ad vires.

Tum ſuperflua plerunque phlebotomia in recidivis, quando in prima febre ſatis ſanguinis fuerit detractum, dummodo a ſuppreſſione menſium, aut hemorrhoidum &c. aut a vini abuſu non fuerit recidiva.

Prætermitti conſuevit phlebotomia etiam in Ephemeris multis, tum in languidioribus pulſibus; verum in Acutis etiam minoribus reliquis omnibus, dum pulſus permittunt, fere opportuna eſt, ac neceſſaria.

Porro ſiquis dicat, ſaltem in illis, qui humido, & *pituitoſo* ſunt temperamento, & in ſenibus, in quibus, ex dictis, vix acutæ videntur hæ Febres, quum ad phlegmaticas potius reduci mereantur, atque in ſenibus langueat calor, abſonum, extraneumque eſſe id remedii genus, hiſque detrimento eſſe magis, quam auxilio; quod ad primos, ſcilicet phlegmaticos, a fortiori, illud oppono, quod de ſanguinis detractione in ipſa Anaſarca legitur apud magnum virum Alexandrum Trallianum: *cui enim hydropi Anaſarca nomen eſt, & venæ ſectionem interdum requirit, ut quæ ex ſanguinis frigidi copia naſcatur, videmus enim, quod etiam ignis externus, cum a lignis viridibus propemodum extinguitur, refocillatur rurſus, ſi ea, quæ ipſum ſuffocabant, auferantur.* Et Cornel. Celſus pariter lib. 2. Medic. cap. 10. ſupra citato, poſtquam varios caſus enumeravit, in quibus opportuna eſt phlebotomia, addit: *item malus corporis habitus,*

quem pro phlegmatico habebat, ficuti videre eft apud ipfum. De fenibus autem dico, eos magis indigere venæ fectione, quam juvenes, quia in illis vetus fanguis perquam difficile mutatur, cum ex eo fenum carnes vix nutritionem ullam accipiant, cumque exfucci cutis, & conniventes pori parum perfpirent, addita maxime fenili inertia, ex quibus omnibus fuperfluus, inutilis fanguis coacervatur.

Arguet fortaffe alter fubfumens ex Rammazzino de morb. Artific. *Agricolas* faltem *non effe per fanguinis miffionem eodem modo curandos, ac urbana gens; illorum enim corpora ab affiduis laboribus attrita facile exfolvuntur; his accedit, quod fanguinis fyftafis tota fere gelatinofa fit, & partium volatilium effœta.*

Refpondeo primo, Rammazzinum, quamvis fortaffe nimium a phlebotomia averfum, haud improbare illam in rufticis, nifi largiorem, aut debito ulterius repetitam. Secundo conftanter affirmo, eo ipfo, quod funt laboribus fractæ vires, neceffariam effe fanguinis detractionem, qua levetur farcina viribus major; quæ ratio rufticorum ipforum autopfia confirmatur; nam bobus, poftquam hi per æftatem araverunt, fanguinem perquam utiliter extrahunt bubulci, experti affirmantes, inde laffitudines folvi, morbofque diverti. Lentus in rufticis fit fanguis præcipue dicta de caufa, quia videlicet vires motrices laboribus, & caloris exceffu imminutæ languent, & tunc maffa fanguinea a minoribus viribus male regitur, quare paulatim retardato circulo craffefcat, oportet, ac gelatinofa impleatur vifciditate per exfuperantem in ea crudum chylum, & multo difficilius moveatur, Febrefque iftiufmodi laffitudinarias dictas pariat, quæ fine fanguinis miffione fedari nequeunt, fed ægrum vel enecant, vel diutiffime fatigant; opus enim illis curandis eft phlebotomia, non modo ad onus diminuendum, fed etiam ad fpiffitudinem, per datum in vafis fpatium, tollen-

lendam. Immo nonnunquam liberalior, atque iterata rusticis convenit sanguinis missio, quum nempe sese antea vino impleverint, sive in ipso morbo ad febrem profligandam, uti mos illorum est, vino abusi fuerint.

In verminosis quidem Febribus parca sit phlebotomia; quia in his spiritus animales, vitalesque crudiores, pauciores, magisque inæquales, quam in aliis febribus, facili negotio deficiunt; quod si pulsus in his minutus, exilisque sit, ac pressioni deficiens, etiam vitanda.

Cœterum idonea sanguinis missio in his Febribus acutis, quemadmodum nuper tradidimus, nunquam omittenda. Quidam autem ægrotantes, qui a phlebotomia insolentissime abhorrent, cucurbitulas scarificatas malunt admittere, quam venæ sectionem, ignorantiæ vero, pervicaciæque suæ dant pœnas, dum frustra terga cæduntur, nec quidquam remittit morbus, nisi etiam sanguinis ex vena detractioni postea assentiantur. Sanguis crassus, impurus, inæquali crasi, & mixtura constans non ex minimis, sed ex grandiusculis vasis extrahendus secundum totum; sicuti enim observant Auctores, magis proficere sanguinem missum, si ex amplo venæ foramine, & facto circulo exierit, quam si ex angusto, & per brachii altitudinem repserit, ita pari de causa magis juvabit, si ex vase non parvo, quam si ex angustissimis, cujusmodi sunt cutanea, ducatur. Præterea per phlebotomiam dirigitur, acceleraturque sanguinis circuitio (ut patet ex pulsu expeditiore, ex calore inducto &c.) unde concoctionis, & secretionum spes, quæ commoda cucurbitulæ nequaquam præstant. Neque est, cur quis dicat, per cucurbitulas perspirationem promoveri, quæ immo per illas in hisce Febribus magis cohibetur, evocando violenter ad cutem ea, quæ secerni nequeunt, utpote cruda, & indisposita: *Frictiones, & cucurbitulæ in non purgato corpore plus attrahunt, quam ressolvunt*; Sanctor. in Static. *Frictiones, &*

cu-

cucurbitulæ in refertis crudis ſuccis impediunt perſpirationem; ibidem. Quæ a ſanguinis miſſione minime ſunt metuenda.

In malignis autem Febribus Medici quidam phlebotomiam tanquam nefas reputant, præcipue repetitam, ſcarificatis cucurbitulis magis fidentes (hæ vero nuſquam venæ ſectionis ſupplent utilitatem) quibus ſimul peticulas ad cutem alliciendo, Naturam adjuvari a ſe ipſis, putant, dum tutius, citius, ac minore detrimento illi Febres haſce superare deprehenduntur ægroti, qui ita tractantur, ut putredinem, ac malignitatem effugiant, non ſecus, ac malignum hominem melius effugere, quam ab illius nequiſſimis moribus, doliſque ſeſe extricare. Natura ſane peticularum eruptionem, & putredinem, unde malignitas, molitur, ſed coacta id præſtat, non ſponte, coacta ab maſſæ communis pondere, perturbatione, vaſorum diſtenſione, ac ſumma irritatione, ut ſe a ſuffocationis imminente periculo liberet; ſymptomatice id agit, & ſymptomata non ſunt adjuvanda, ſed prævenienda, atque impedienda, eoque magis malignitas, quæ peſſimum eſt ſymptomatum; nulla autem re melius primum ſuccurritur, quam ſi, ponderis partem, indeque diſtenſionis, irritationiſque, per phlebotomiam, aliquando etiam iteratam, demendo, circuitionem rectam, motum ſcilicet progreſſivum maſſæ ſanguineæ ſervemus, & lateralem, ac inteſtinum, perturbatum, putredinoſumque avertamus.

In malignis vero epidemicis, contagioſis Febribus quam citiſſime celebretur, & primo, aut ſecundo die ſanguinis miſſio, aut ſaltem ante quartum; nam hic profecto *occaſio præceps, & tardare in talibus malum*; facienda igitur (correcto primum aere cubiculi junipero cum baccis uſto, pino, lauro, ſeu aromatibus, ſi lubet, aliis hujuſcemodi gratis, ſeu, quod optimum eſt, vapore aceti) antequam corruptio reſtaurationem ſpirituum, poſt detractionem ſanguinis,

nis,

nis, prohibeat, maſſam ſanguineam totam, & proximam ſpirituum ſubſtantiam alterando, atque invertendo. Quo amplius enim protrahitur, eo magis ſpirituum imminuitur ſecretio, & corporis œconomia ruit; ſiquidem adeo mala ſanguinis craſis a ſolo circuitu aliquid obtinet vitalitatis, hoc in dies magis reſtricto, paulatim in putredinem abit, neque amplius, per phlebotomiam, ſtatim, adeoque erigi valet, ut cito ſpiritus reparentur, quemadmodum initio aſſequi poſſumus; hinc fit, ut in epidemicis quibuſdam contagioſis conſtitutionibus, ſanguine octava, aut nona die extracto, nonnulli paucis moriantur horis. Præterea non modo cita, verum & moderata in talibus caſibus eſſe debet ſanguinis miſſio, habita ſemper virium ratione. Hæc omnia ex pulſu cognoſcentur.

Differt multum maligna Febris, nata ab contagione, a Febre maligna ſporadica, abſque contagione, orta ab aliis cauſis, licet ejuſdem cœteroquin naturæ, & quamvis peticulæ ad cutem veniant, ac miaſmata progignantur, etiam in ſecunda; nam in hac remiſſior eſt cauſa efficiens, neque ſpiritus vel ab initio ſtatim decidunt, ſed paulatim decreſcunt. In epidemicis autem ab contagio obortis duplex, in cauſis communibus, eſt ſpirituum detrimentum: alterum dum a ſuſcepto contagioſo morticino halitu ſtatim ab initio ipſi afficiuntur, indeque modo jam deſcripto corrumpuntur: alterum dum a circulatione, uſque ad finem ſtatus ſemper tardiore, ſenſimque magis putreſcente impuriſſima maſſa communi, miaſmatumque proventu gradatim imminuitur, contrahitur, vitiaturque illorum ſeparatio, &, quicumque ſit, vigor. Itaque ubi inter cauſas haud fuit contagium, in malignis ſporadicis, atque intercurrentibus, liberius adminiſtrari poteſt phlebotomia.

Convenit in malignis Febribus ſanguinis eductio, etiam quando poſt peticularum apparitionem Medicus vocatur, ſi pal-

pulſus non deterrent ; nam omnino eſt neceſſaria ; ac ſi morbi violentia rurſus minitetur , etiam repetenda ; etenim in plenitudine , & tarditate maſſæ communis , qualibet acceſſione , aut exacerbatione , in conſpectum plures veniunt peticulæ , novatur qualibet vice , ſeu intenditur peſſimus, perturbatus, diverſus motus , unde in putredinem ſemper magis ſolvitur ſanguinea maſſa , quod inhibendum per phlebotomiam , qua illico imminuitur plenitudo , ponderis reſiſtentia , & diſtenſionis ſtimulus, expediri incipit circulatio, orgaſmi , ac tumultus moderari incipiunt ; alioquin enervata Natura a repetitis conatibus ſymptomaticis , atque a putredine ſanguinis , & ab miaſmatum in ſe generatorum , reſumptorumque ſeditione , ac deſolata prorſus impar plerunque redditur movendo tanto , ac tali ſanguini , cujus exiguam portionem per peticulas eliminat ; & hæc ipſa eliminata portio in lynphæ ductus arterioſos intruſa per ſe nequaquam juvat ſanguinis circuitionem , quin potius eidem jam deficienti proximæ , alicui impedimento eſt , obſtruendo , atque hic illic premendo .

In Periodicis aliquando utile , ac neceſſe eſt , aliquando ſupervacaneum mittere ſanguinem . Quando ab pigra , ſive obſtructa alvo naſcuntur Intermittentes ex chylo , quod ſæpe accidit , etiam ſine phlebotomia , quemadmodum ſupra de acutarum ſimili primordio propoſuimus , curari poteſt ægrotans ; itidem quotieſcunque ab obſtructione glandularum talis periodica diu ægrum infeſtat ; abſentia enim continuitatis ſignificat , ſanguinem vix quidquam per ſe peccare , ſed per contractam a viſceribus indigeſtionem , non multam , & expurgari quotidie per aliquam ſecretionem , atque eiſdem glandulis , quæ adhuc gravantur , magis proſpiciendum eſſe , tanquam cauſæ procactarticæ febrem foventis . Neceſſarium autem venæ ſectionem ad Febres hujuſmodi intermittentes adhibere in plethoricis , & in quibus

pul-

pulſus duri, ſaltem in paroxyſmo, ſentiuntur; tum maxime quando, libera etiam alvo, hæ ad continuitatem tendere videntur, quando ſcilicet dolor, ſeu tenſio, & pondus capitis, etiam extra paroxyſmum, affligunt.

In Chronicis quoque continuis perquam neceſſaria eſt detractio ſanguinis. In Hyppocondriacis Febribus eo liberius adminiſtranda, quo majores habent exacerbationes, & calore intenſiore fultas, quæ ſi tales perſeverent, etiam iteranda; hæc nanque & febris feritatem mitigat, & dolores, convulſioneſque lenit, quæ hac in Febrium ſpecie occurrunt.

In Hæcticis etiam Febribus ut plurimum unica ſatis non eſt phlebotomia, ubi præſertim pulſus duriuſculus maneat, & talis enim pulſus ſemper venæ ſectionem indicat, & Hæcticæ Febris cauſæ frequentiores expoſcunt; nempe plethoricum gracile temperamentum, vini abuſus, nimia extractionis ſanguinis parcitas in acutis, & defectus hæmorrhagiæ conſuetæ, quod etiam agnovit Hipp. 6. Aphor. 12. *A diuturnis ſanato hæmorrhoidibus ſi una non ſervetur, periculum eſt Aquam intercutem; vel tabem* (quæ per Hæcticam ſcilicet Febrem inducitur) *advenire*. Hæc omnia globulorum, fibrarumque ſanguinearum numerum excedentem efficiunt, ſuperfluum, inutilem, immutabilem, boniſque ſecretionibus prorſus ineptum, indeque Chyli cruditatem permanentem generant, quæ mala corrigi nequeunt, niſi primum cauſa præcipua auferatur, nimirum plenitudo ſanguinis, per phlebotomiam.

Etiam in ſymptomaticis non raro iteranda eſt venæ ſectio, quotieſcunque evidens turgentia pulſus æqualis, vel inæqualis efflagitat, certius tamen, perſeverantiuſque levamen a phlebotomia in eſſentialibus, quam in ſymptomaticis. In quo etiam advertendum quod didici ab experientia, ſcilicet obſtructiones lienis, atque hepatis ſæpe extraneam

quandam pulſus plenitudinem accerſere, quæ vix per diem unum, aut alterum phlebotomia emollitur; id præſertim ex facie pallida, ſubtumida, aut ſubflava ægrotantis, & ex ſiti cognoſces; hæcque peculiaris turgentiæ ſpecies aliis peculiaribus ſolvenda remediis relinquatur, non phlebotomia renovata tentetur.

CAPUT DECIMUM.

De Purgatione.

QUemadmodum oleum, & operam perdimus in his Febribus præſertim magni momenti curandis, omiſſa ſanguinis detractione, ita vix quidquam tuto proficitur, abſque purgantium adminiſtratione.

Mirabuntur multi, nos tam levioribus, quam magnis Febribus, atque etiam malignis, nec non & chronicis methodum ferme eandem, & purgationem præſcribere. Veruntamen quum Febres acutæ minores in acutas majores non raro tranſeant; acutæ majores in malignas; inæquales in æquales, & vice verſa; intermittentes in continuas; continuæ in intermittentes; omnes autem in chronicas deſinere queant; quumque non pauca ſint omnibus communia ſymptomata; quum demum omnes procactarticæ cauſæ, ſingulariter, ac ſeorſim ſumptæ omnibus fere Febrium harum conditionibus valeant eſſe communes; cauſa vero efficiens, & proxima ubique ſit eadem, tantummodo ſecundum magis, & minus, pro diverſis febrium claſſibus, & characteribus, diſtincta; & materia cauſæ efficientis in omnibus item eadem exiſtat, nempe crudus chylus; cum deſtructio cauſæ morbi ſit ablatio materiei, quæ morbum facit, methodus, quæ educendo e corpore morboſam iſtam impuram Chyli cruditatem in genere tollit has Febres, etiam in particu-

ticulari conveniet ; eoque magis , quod ad varietatem , & differentiam a diversitate accidentium, classiumque illatam, nos quoque remediorum quantitatem , eorundem materiam, atque ipsa exhibendi tempora variamus.

Hoc profecto sæculo, quo in omnibus lenitas, ac prudentiæ opinio , atque existimatio vulgaris magis, quam vera Prudentia, & vera Praxis affectantur , extraneum videtur tam frequentia admittere purgantia ; attamen inauditum non est , sanguinis cacochymiam per alvum purgari , sed id Majoribus nostris perquam familiare fuisse, ex eorum monumentis perspicuum est, satisque sit Artis Principis dogmata in arenam prodire . Habet igitur magnus Præceptor, 2. Aphor. 9. *Corpora quum quisquam purgare voluerit oportet fluida facere* ; & lib. 4. de Morb. a num. 18. ad 21. quatuor, docet, esse conferentia loca , per quæ noxium e corpore tum in statu morboso , tum in sano effertur : os, nares, alvum, & urinæ meatus, sed maxime alvum, inquit enim sub. num. 20. *Influit autem humor de corpore ad ventriculum amplior , & graveolentior , & defert cibos concoctos , & quidquid est in corpore morbosum , & simul exit*.

Huncque Natura ipsa demonstrat conferentem locum in his Febribus ; siquidem ephemeræ ex chylo , & aliæ acutæ minores alvi fluxu superveniente interdum solvuntur; acutæ majores , quibus tempestivus alvi fluxus accedit , absque gravioribus , multisque symptomatis , breviter sua tempora decurrunt , faciliusque sanantur , sic malignæ , sic chronicæ ; contraria omnino symptomata accidunt in Febribus his omnibus , quando venter siccus est ; idque observat Hipp. lib. 1. de morb. num. 14. inquiens in genere : *Febrienti , aut vulnerato alvus resiccata , malum* , deteriora videlicet ingruunt, urgentque symptomata, exitiumque, aut saltem longitudo morbi, & in chronicas, ut plurimum symptomaticas, transitus, expectanda sunt. Modo, missis acu-

tis minoribus, quæ haud tantum intersunt, duas Febrium acutarum majorum hystorias, ab Hipp. petitas, prout stant, lib. 1. de morb. popular. fideliter afferam, quibus tanquam oppositis veritas magis elucescat. *Ægrotus X. Calzomenium, qui ad Phrenichidæ puteum decumbebat, febris vehemens corripuit. Dolebat autem caput, collum, & lumbos ab initio. Statim autem surditas. Somni non aderant. Febris acuta invasit. Præcordium elevabatur, cum tumore: distensio non valde: lingua sicca: quarta ad noctem desipivit. Quinta laboriose omnia exacerbata sunt: circa undecimam parum remiserunt. Ab alvo vero, ab initio, usque ad decimam quartam, tenuja multa, aquei coloris, prodibant. Toleranter ea, quæ ad secessum pertinent, ferebat: postea alvus restitit. Urinæ perpetuo tenues quidem, verum boni coloris, & multa in medio, suspensa babebant divulsa: non subsidebant. Circa decimam sextam, minxit paulo crassiora, habebant subsidentiam parvam, paululum allevarunt, resipiebat magis. Decima septima rursus tenuia. Circa utrasque aures tubercula extiterunt, cum dolore. Somni non aderant: delirabat. Circa crura dolebat. Vigesima a febre liber judicatus est: non sudavit: omnia intelligebat. Circa vigesimam septimam, coxæ dextræ dolor fortis, cito quievit. Tubercula vero juxta aures neque sedata sunt, neque suppurata, verum dolebant. Circa trigesimam primam, profluvium alvi ex multis aquosis, cum ejusmodi, quæ in dysenteria prodire solent. Urinas crassas mingebat. Tubercula circa aures sedata sunt. Circa quadragesimum, oculum dextrum dolebat, obscurius videbat. Restitutus est.*

Ægrotus XI. Dromeadæ uxorem, quæ filiam pepererat, & aliis omnibus secundum rationem factis, secunda die rigor corripuit: febris acuta. Cœpit autem prima die dolere circa præcordia, fastidiosa, ac nauseabunda, horrida, anxia, & sequentibus non dormivit. Spiritus rarus magnus, statim revulsus. Altera a rigore die stercora ab alvo bene prodibant.

(Hac

(Hac una tantum die, memorat, ægram ex alvo fæces excreviſſe) *Urinæ craſſæ, albæ, turbatæ, qualis fit ex his, quæ ſubſiderunt, ubi multo tempore ſita fuerint conturbata: non ſubſidebant: nocte non dormivit. Sudavit per totum ſubfrigida. Statim autem rurſus recalefacta eſt. Quarta die circa præcordia parum allevata eſt. Capitis gravitas, cum dolore: in ſoporem incidit: parum de naribus ſtillavit: lingua ſicca: ſiticuloſa: Urinæ tenues, oleoſæ: parum dormivit. Quinta ſiticuloſa: faſtidioſa. Urinæ ſimiles: nihil ab alvo. Circa meridiem, multum deliravit, & ſtatim rurſus parum reſipiebat: exurgens in ſoporem incidit: frigiditas parva: nocte dormivit: deliravit. Sexta mane ſuperriguit. Statim autem recalefacta eſt. Sudavit per totum: extremitates frigidæ: deliravit. Spiritus magnus rarus. Paulo poſt convulſiones a capite cœperunt. Statim mortua eſt.*

Binos nunc caſus mihi ſubnectere liceat propria experientia notatos: alterum malignæ, alterum chronicæ Febris, qui, inter alios, purgationem in hiſce utriſque Febribus indicari, mihi maxime comprobarunt.

Ruſticam mulierculam, in quadam epidemica contagioſa conſtitutione, vehemente, ac Maligna Febre, in qua æruginoſæ peticulæ per cutem ſparſæ erant, laborantem, cum delirio, liquidaque eruginoſa alvi dejectione, exiguo leviſſimi temperantis uſu, ac quaſi per ſe, optime convalluiſſe, obſervavi.

Monacum olim curabam, nobili de Stirpe ortum a Febre Hyppocondriaca, cum diris ſymptomatis, præſertim colicis, ac vomitionibus, ex obſtinata, ac diuturna alvi ſtipticitate, qui brevi tempore in tantum maraſmum, eumque deplorabilem ſtatum redactus erat, ut inſigniores ſuperaccerſiti Civitatis Medici non amplius quidquam ſperarent. Ille tamen ventre, cui potiſſimum proſpiciendum aſſerebam, poſt duodecim dies, meis, ægre admiſſis, remediunculis rurſus aperto, & commode moto, ab dolorum

fæ-

ſævitie citiſſime reſpiravit, ac Superis faventibus, eadem methodo tandem convaluit.

Aſt Alii Hippocratis doctrinis, a me primum adductis, primo alias ejuſdem magni Senis opponent, ſcilicet tritos illos, neſcio tamen, an bene conceptos Aphoriſmos, tanquam tela, in me jacientes: *In acutis paſſionibus raro, & in principiis medicinis purgantibus uti &c. Concocta medicari, atque movere non cruda, neque in principiis, modo non turgeant, plurima vero non turgent.* Veruntamen ſecundus primum nobis optime diſtinguit; nam alii ſunt acuti morbi, in quibus materia non turget, ſed fixa eſt, quemadmodum plurimi morbi partium peculiarium locales: *maxime autem & hepatis dolores, & ſplenis gravitates, & aliæ inflammationes, & ſupra ſeptum tranſverſum dolores, & morborum collectiones*, videlicet Appoplexiæ, Anginæ, Pleuritides, Peripneumoniæ &c. *quæ ſolvi non poſſunt, ſiquis prius medicamentis purgare aggrediatur*, ſicuti ipſe Senex noſter Aphoriſmorum ſuorum explicationem, commentationemque palam ſuppeditare videtur, lib. de vict. rat. in morb. acut. num. 36. Alii ſunt acuti morbi, in quibus materia turget, atque in his, etiamſi valde acuti ſint medicandum, docet, eadem die in alio Aphoriſmo, ut notum eſt. Atque de hiſce acutis ſunt Febres ab Chyli cruditate, quod alibi demonſtravi. Præterea illud innuere perſpicitur Hippocrates, primo iſto Aphoriſmo, quod ego ipſe ſuperius præcepi: non eſſe in acutis ab initio adhibenda purgantia, ideſt non eſſe per ea inchoandam curationem, ſed per phlebotomiam, quod aperte docet ibidem de vict. rat. in morb. acut. ubi venæ ſectionem *in talibus principalem eſſe*, ſubdit, *deinde etiam poſtea* purgandi locum dari poſſe. Demum factam jam aliquam concoctionem, per præmiſſam phlebotomiam, eſſe, teneo; etenim quidnam aliud eſt hic concoctio, niſi diſpoſitio morboſæ materiæ ad ſecretionem, &

quæ-

quædam ejus præparatio? hæc autem per phlebotomiam fit, ficuti antecedente capite oftendi; ergo neque cruda moveo; Quandoquidem aliud eft crudum per fe, & abfolute confideratum, aut etiam refpectu maffæ fanguineæ, aliud eft crudum refpectu purgationis. Cruda re vera in his Febribus eft morbofa materies, fi confideremus ejufdem effentiam, & qualitates, quia indigefta, rudis, vifcida, & craffa; deinde cruda, habita ad fanguinem ratione, utpote quæ fuperflua, per fe veluti exiftens, ac non raro feparata, veluti in inæqualibus, & primis diebus; cruda infuper quoad tenujores fanguinis fecretiones fudoris, & perfpirationis; non tamen cruda quoad purgationem cenfenda, quia, ex dictis, de fang. miff. ad hanc fecretionem bene difpofita eft, eo quod minus compacta, atque implicata cum bonis humoribus.

Deinde acutas, graviorefque Febres, potiffimum per urinas, &, nihil obftantibus traditis, per diaphoram tutius folvi, contendent Adverfarii. Sed quoad primum, nempe diurefim, peto ab illis, quænam tam certa fint ipfis diuretica, quemadmodum purgantia habemus? affirmat enim Bartholinus in epiftola ad Wepfer, apud Bonetum T. 2. Patholog. lib. 4. cap. 22. *nos laborare defectu diureticorum*, *quæ prompte effectus fuos edant*; quapropter illa expectationem fæpiffime fallunt; purgantia vero, ea, qua opus eft ratione, ufurpata fere nunquam; illa attenuando, magifque confundendo cruditatem lentam, craffam, vifcidamque cum fanguine, & ad renes (*qui ex arteriofis ramis quatuor, vel quinque majoribus, alios multo minores, atque inde rurfum arcuatos, tenuiffimos, vifum fugientes, per omnia loca renum diftributos accipiunt: illi harum arteriolarum ramuli, vermiculari reptatu, mutuis concurfibus uniti, feparatique glomeres quafi conftituunt, ex his vero ultimis videntur oriri venæ reducentes minimæ, tum fiftulæ laterales, tenues &c.* Boheraav. in In-

Instit. Med. de activ. ren. vacsulis scilicet, maxime convolutis, innumeris, minutissimis, hincque ex glandulis, sese invicem prementibus, magna ex parte componuntur) traducendo; glandulas obstruent, atque urinam, quam diureticis confidentes moliri student, imminuent, atque cohibebunt, quod a purgantibus, febris gradui proportione respondentibus, haud est metuendum; quandoquidem crassius per hæc ab renibus divertitur, ac foras transfertur; ubi enim primus localis glandularum stimulus, ibi motus major, & emunctio, eoque Natura intendit momentum, & graviora primum, ac potissimum deducuntur, & sic a sanguine secernuntur; rectiores autem sunt, capacioresque meatus, longeque aptior, brevior, atque adeo multiplex est secretio intestinorum; quare eorum semper proprium est, etiam in statu sano, confertim separare crassiora, muccosiora, atque oleosa; nam ex eodem Auctore nuper citato, intima eorum *tunica pertusa fistulis aquosis, & glutinosis, pertusa poris grandibus, qui ab aliis his meatibus distincti, humore aquoso, & glutinoso assidue madida. Glandulæ peyerianæ hiantes gluten suppeditant, unde fæcum, maxime circa finem Ilei crassescentium, inunctio &c. Alia tenuis tunica reticulari innumerabilium vasculorum arteriosorum finibus... partim in glandulas peyerianas, partim in canales, in cava intestinorum excretorios, distributorum... intertextu constans. Cingit illam musculosa, parte concava, fibris anularibus, firmis, densis, unde hinc intestinorum cavitas integre per partes successive assurgentibus valvulis arctatur &c.* hancque etiam tunicam crassiorum humorum expressionem summopere juvare, quisque conjiciet. Ex ipsa igitur Anatome perspicuum est, uter ad morbosam harum Febrium materiam expurgandam sit magis conferens locus. Quin etiam purgantibus urina ipsa multo copiosior redditur, tum quia per purgationem pressio aufertur organis urinariis internis illata sive ab induratis fæcibus, sive ab ca-

run-

rundem multitudine, & pondere; tum quia cruda corpuſcula renum arterias, & renes ipſos obſtructura, aut obſtruentia divertuntur, derivantur, & per ſeceſſum eliminantur; id Baglivus obſervatione confirmans ait: *Sæpe obſervavi in iis, quibus obſtructiones ſunt in primis viis, cum magno humorum apparatu, urinam diminute procedere, & aliquando ſupprimi, quia humorum hujuſmodi in meſenterio hærentium cauſa, lynphæ curſus in lynphaticis viſcerum turbatur, impediturque* (non tam autem ad ejus rationem, quam ad obſervationem attendimus). *Diuretica quantacunque, & cujuſcunque activitatis dederis, urinam non educes, immo magis ſupprimes. Purgantia repetita ex pillulis de hyera, cum agarico, tartarea, epithimus, & lenia hujuſmodi purgantia, educendo meſenterii impuritates, pro modulo, quo tales educuntur impuritates, urinæ quoque curſus aperitur, ægrique ſanantur.* Iſchuriam porro quamcunque leniri, ac valde imminui a remediis alvum moventibus, atque a clyſteribus ipſis, etiam in calculoſis, experti Practici paſſim commemorant. Tandem purgantia pleraque liquant maſſæ communis particulas, eaſque ſolvendo, in ſerum redigunt, unde urina abundantior; quidem poſt miſſionem ſanguinis datum catharticum, etſi ventrem notabiliter alicui, ob quamlibet fortunam, non ſubduxerit, urinam tamen multiplicat.

Sanctorianam tranſpirationem, criminabitur quis, a nobis omiſſam eſſe, penituſque neglectam (quod ſecundo loco diſcutiendum ſervavimus) illud fortaſſe ipſius Sanctorii intendens: *Ut quid noſtratium plurimi, in omni ægritudine, ſolum per alvum, vel per urinas evacuandum ſibi proponunt, & de inſenſibili perſpiratione vix cogitant?* Sed primum nobis non competit iſta reprehenſio, quum non in omni ægritudine, neque adeo in omni, & quacunque febre, ſed quidem in febribus ab chyli cruditate, medicamenta alvum ſubducentia, perque eandem ſanguinem expurgantia, præſcribenda

censemus. Hacque ipsa methodo, Febres hasce curando non secus, ac urinæ promotionem, modo explicatam, perspirationem quoque melius, quam alia omni restitui, au demus asserere; etenim Medico omnia physice agenda sunt & recta ratione duce, ab morborum animadversione, a ponderatione petita, non empyrice. In nostris Febribus om nibus viget cruditas, siquidem in ea morbus ipse consistit cum in his, vel prima coctione deficiente, vel secunda, ve utraque, chylus crudescens sanguinem inficiat, ejusque cir cuitionem vitians has generet Febres. *Perspiratio* vero *insen sibilis est excrementum tertiæ coctionis, quare, si non fiat pri ma, neque tertia fiet concoctio*: Sanctor. in Stat. Sect. de cib & pot. Cruda porro quæcunque eandem inhibere perspira tionem, passim tradit memoratus Sanctorius; Natura auten in morbo tollendo ad perspirationem tendere nequit, ub impossibilis est perspiratio; huc ergo non vergit Natura, ne que nos eam, quo recusat, vi trahere (quod frustra) debe mus. Atenim Medicus est Naturæ adjutor, & quod ill per se præstare non valet, ipse auxiliis opportunis suppleat oportet. Quomodo igitur Medicus perspirationem instituet non certe diaphoreticis internis; nam stimulatis vasis, & rarefacta impura massa (quod toties inculcatum) magis re tardabitur circuitio, indeque perspiratio difficilior reddetur orgasmus major nascetur in sanguine, augebitur morbus non externis, balneis scilicet, fomentis, frictionibus, cucu bitulis, quæ, vigente cruditate, ex eodem Sanctor. Sect. d ponderat. Aph. 103. impediunt perspirationem. Auferendum impediens, cruditas nimirum superflua maxime Naturam onerans, per lenia repetita purgantia; tuncque Natura pri mum concoctionem paulatim pariet in sanguine, multo mi nus, quam antea vasorum viribus resistente, celerius, for tiusque moto, ac conquassato, deinde & transpirationem sensim absolvet. Sed aliquis subsumet; Per te hæ Febres

etiam

etiam a defectu perſpirationis naſcuntur; itaque, ſi cauſis occurris, huic occurrendum. Per me vel a ſanguine non ſejuncta tranſpirabilis materia paulatim efficit, ut non renovetur ſanguis, per ablationem ejuſdem fuliginoſo-humidi excrementi, quo detur aptitudo converſioni chyli in ſanguinem: hinc crudeſcit chylus ſuperabundans; vel ea, quantumvis a ſanguine diſcreta, retenta tamen intra vaſa ſanguiduca (quacunque etiam externa de cauſa) eadem vaſa implet, ſanguinem rarefacit, Naturam in concoctione chyli turbat, atque impedit: hinc chylus iterum crudeſcit. Sicque alteruter horum tranſpirationis defectuum, per chyli cruditatem, haſce Febres non raro progignit; nam quæ Febres ſtatim, ac repente ſuſcitantur ab ſola tranſpiratione recens prohibita, ab his noſtris, ſicuti genere, ita & indole diverſæ ſunt, veluti quædam ex ephemeris, & ſynochæ, ſimplices a Veteribus quoque dictæ, quæ tamen pauciores ſunt, quam vulgo creduntur, & curantur per ſolius tranſpirationis reſtitutionem, ſine catharticis. Verum in noſtris ſymptomata haud amplius deficientem perſpirationem, ſed chylum crudum luxuriare, arguunt; hæcque alia omnia aut alterant, aut ſuperant, atque obtegunt. Chylus vero, qui jam crudeſcit, inutiliterque coacervatur, non amplius in ſanguinem converti poteſt (nam quod antea fieri nequivit, eo minus impoſterum, manentibus iiſdem, immo auctis impedimentis) immo ipſi novo ſupervenienti prohibet talem tranſmutationem, cœteraſque ſecretiones imminuit, eoque magis perſpirationem cohibet. Is ergo e corpore efferendus; etenim ex Galleno, quod ultimum eſt in cauſarum inventione primum eſſe debet in remediorum executione: ſit loco exempli iſtud: ob prohibitam tranſpirationem acuta febris in muliere utero gerente, victuque abutente; ab acuto morbo extinguitur fœtus in utero, ſymptomata creſcunt; febris multo perniciosior; nunquid promovendæ perſpirationi

tunc incumbes ? aut si etiam (data hypothesi) illa procederet, febrem, & reliqua mala per illam tolleres ? minime gentium; at profecto excluso fœtu, & lochiis aliquandiu fluentibus, febris valde remittet, tuncque perspiratio revocari forsitan poterit.

Denique ipsam superius enunciatam experientiam, per oppositam, confutare quidam contendent, eo scilicet, quod observatur alvi fluxus tam in acutis, præsertim malignis, quam in chronicis Febribus sæpe & lethale signum esse, & interitum valde accelerare. Objectioni cum distinctione respondeo: Alvi fluxus tam in acutis, ac præsertim malignis, quam in chronicis hisce Febribus tempestive succedens, & critice, salutaris est, nulloque modo mortem prædicit, aut affert; atque ex hac parte nego assertum; immo audeo dicere, necis ignominiam adstringentibus, perperam adhibitis frequentius deberi, quam alvi fluxui; cum enim ista a pluribus usurpentur, apparente, ac durante quacunque lubricitate ventris tum in acutis, præcipue malignis, tum in chronicis, & plerunque Naturæ sese excutienti, & defendenti frænum, ac vincula inijciant, salubremque supprimant evacuationem, ita per ea de medio tolluntur ægri, inusta interea diarrheæ nota. Ex altera autem parte, verum sane est, alvi fluxum istis Febribus supervenientem, Natura aut oppressa, aut protracto morbo jam victa, in pejusque ruente, mortem indicere, atque inferre; veruntamen ex hoc non sequitur, alvum in hisce Febribus nullo modo esse ducendam. Hippocrates ipse, *in febre ardente, si alvus eruperit, mortale esse*, docet in coac. prænot. & tamen in febre ardente purgationem per alvum præscribit, de vict. rat. in morb. acut. circa num. 35. & lib. de affectionib. *ventrem* itidem in febre ardente *curandum* jubet. De chronicis quoque morbis Hipp: dixit in genere: *ex morbo diuturno etiam alvi defluxus malum*; in specie de tabidis, inter

quos

quos potiſſimum hæctici, phtyſicique cenſendi, inquit, 5. Aph. 12. *quibuſcunque tabe laborantibus capilli de capite defluxerint* (hoc eſt in ultimo gradu, & ſolido jam peſſundato) *hi alvi profluvio prodeunte, moriuntur*. Attamen idem Hipp. in tabibus fere omnibus purgationem: in his leviorem, fortiorem in illis, commendat; id videre eſt in lib. 2. de morbis, num. 54. lib. de loc. in homin. ubi tabidorum curationes inſtituit, & de intern. affectionib. circa num. 13. in Tabe, novem annos durante. Conſiderandum itaque cur lethalis ſit illis alvi fluxus, cur his proſit, & non abſolute, indiſcriminatim, quo nil pejus, judicandum. Juvat vel ab initio, ſufficiente ſanguinis miſſione primum celebrata, inſurgens, aut in augmento, aut ſaltem in primo ſtatu harum Febrium, quia nondum mixtus eſt omnino, & ubique cum ſanguine crudus, peccans chylus, ſed hic illic veluti per ſe exiſtit, indeque minus intime contaminato ſanguine, ſpiritibuſque nondum victis, dum irritata quidem Natura, ſed multo minus detrita, quam impoſterum, excernere valet, excernitque per ſeceſſum, qui locus conferens eſt, plus morbifici, quam utilis, videlicet chylum ſuperfluum, craſſum, viſcidum, morboſum; Hinc iſta bona ſequuntur: inteſtina amandant fœda, & impura, quæ continent, & glandulæ illorum ab infarctu liberantur, atque hæ quo magis emunguntur, eo plus peccantis materiei e ſanguine ſecernunt; indeque magis, magiſque levata, ac vigens Natura minus culpabilem, minuſque reſiſtentem ſanguinem movens morboſum reliquum optime concoquit, & per glandulas eaſdem, atque alias, facilius e corpore eliminat, unde ſalus. Contrarium accidit vel in plenitudine, abſque factis primis evacuationibus univerſalibus, in violentiſſima irritatione, & perturbatione acceſſionum, exacerbationumve in Febribus, præcipue malignis, quo in caſu, cum non detur locus ulli concoctioni, bonæ ſcilicet diſcretioni, ac præparationi, Natura

ra a pondere, & vasorum distensione enormi irritata, qua data porta, sive per sudores symptomaticos, sive per intestinorum glandulas, tenujus extrudit, relicta autem crassiora morbum, & symptomata intendunt: atque hic alvi fluxus perniciosus est, ac minime permittendus; vel ubi in malignis a provecto acerrimo morbo, & a nisibus propriis symptomaticis fracta Natura, simulque ab resistentiore, ac putrefacta jam massa summopere lacessita fœdæ, corruptæ, ac fatiscentis ejusdem massæ liquidiorem putredinem, nimiam, & nimis frequenter per secessum expellit, hinc concidunt vires, usque ad interitum; vel ubi per morbi longitudinem in chronicis, ex una parte, aucta simul, attenuata, & magis irritans facta furfuracea, aut putrida cacochymia, ex altera vero, abdominis visceribus labefientibus a fæculenta materia, in eadem decumbente, afflicta seu primario, seu per consensum intestina, ac relaxata vix amplius resistunt influxui: ex hisce duobus diarrhæa nascitur symptomatica, lethalis; vel demum ubi in Hæcticis Phtysicorum partim impurgata saburra pulmo jam nimium intumescens iter sanguinis intercludit, partim pus ex ejusdem apostematum suppuratione in sanguineam massam absorptum ad promptiorem excretionem urget: tum a tardiore sanguinis circuitu, tum a stimulo puris in inferiorem & longo morbo debilitatam, & per consensum affectam fit cavitatem expressio, nimirum per intestina, unde alvi fluxus itidem symptomaticus, exitialis. Quamobrem nemo inde inferre poterit, purgantia, monstrante Natura, in his Febribus esse perniciosa; nam quisque videt, omnia remedia suum habere tempus, suamque opportunitatem, & si initio, augmento, aut statu harum earundem Febrium vel per spontaneam criticam diarrhæam, vel per purgantia causa aut imminuta, aut ablata foret, hanc minime fuisse sequuturam damnosam excretionem, & prorsus mortiferam.

Sic

Sic in Volvulo ſi, corruptis omnibus, ſero ingruat fœtidiſſimus alvi fluxus, actum eſt de ægro; quis vero alvum in Iliaca paſſione nunquam aperiendam, movendamque eſſe, ideo pronunciabit? Nemo ſane; etenim ſi intra primos dies venter ſatis exoneretur, in vado res eſt.

Sic auctoritate, experientia, ratione, quam reddidimus objectis reſpondendo, unicuique, arbitror, quod propoſuimus eſſe probatum.

Quanquam autem tradiderim, opportunum alvi fluxum tam in acutis, quam in chronicis Febribus eſſe ſalubrem, attamen dico, ſpontaneam diarrhæam, qualem probavi, febres quidem leviores interdum delere, verum acutas febres magni momenti, ac periculoſas raro ſolere penitus tollere; ideoque medicamentorum ſaltem unum, vel alterum eſt ſecurius adminiſtrare; alioquin fluxus, febriſque, licet remiſſa, perſeverare poſſunt, vireſque perdere, & fluxum in ſymptomaticum mutare, facilique remedio ſolutu morbum in pejorem, atque longiorem; datis vero aptis purgantibus, tum diarrhæa cito finitur, tum febris. Neque catharticis fluxus hic, tanquam contraindicans, obicem ponit, niſi malignæ, & præſertim contagioſæ cum iſto ſint Febres, aut in aliis ſint valde proſtratæ vires, quod pulſus oſtendent; conſiſtentibus autem pulſibus, & in reliquis hujuſmodi Febribus alvi fluxus vix unquam ab idoneis evacuationibus Medicum deterrere debet.

Neque in Febribus ex chyli cruditate, ſive acutis, ſive chronicis, fidendum ſolis clyſteribus; ipſi enim ne uni quidem catharſi bene ſubſtitui poſſunt, nec ipſi ultimæ; fæces iſti vix ex omnibus, totiſque inteſtinis craſſis educunt; cathartica vero inteſtina tenuja, craſſa, & ſanguineam maſſam certiſſime purgant. Memini, me curaſſe ſenem ruſticum, a ſpecie quadam harum Febrium, in chronicam labente male habitum, & afflictum, cui jam duabus bene verſis purgatio-

gatio-

gationibus, quum is febre adhuc laboraret, infra describendum pulverem purgantem, mihi consuetum præcepi, dum alter senior Medicus clysma adhiberi maluit, quod etsi aliquid liquidi deduxisset, nihil tamen de residuo morbo detraxit, quare catharticum tandem a me præscriptum sumpsit, quo libras iv. aut amplius limosæ, cretæque similis materiei binis, tribusve sedibus dejecit, ex quo optatam obtinuit salutem; quæ relicta post duas catharses, & clysterem fæculentæ materiæ quantitas me admiratione perculsit.

Sæpe vero in pueris, fermeque semper in illis, quibus indigestio recens primas vias præcipue tenet, ac parum inde vitii cepit sanguis, *quibus* etiam *nondum febricitantibus tormina acciderint, genuum gravitas, & lumborum dolor*; vel alia suo loco proposita symptomata crudæ materiei sordidioris, durioris ve in intestinis stabulantis, & ascensus in sanguinem cruditati occasionem præbentis, adsunt, cum levi quacunque febricula; tum in aliquibus Febribus intermittentibus, omissa (quemadmodum antecedente capite innuimus) phlebotomia, per aliquam potionem catharticam, invadentem morbum aggredimur. Etenim purgatio sic tollit antecedentem materiam, atque ulteriorem sanguinis inquinationem avertit; ipsamque sanguinis incipientem impuritatem, per eandem intestinorum secretionem, expurgat, statimque febrim, modica ablata causa, destruere valet sola catharsis, ac interdum unica.

In Febribus igitur ab chylo inæqualibus, sive acutæ minores sint, sive majores, die a phlebotomia secundo, instituenda purgatio, horis remissionis, per potionem solutivam, temperamento, ætati, cœterisque accidentibus accommodatam; sic calidis hominibus, aut febribus in accessionibus calorem habentibus ex tamarindis cum senna, hujusque correctivo aniso, confici recte potest decoctio. In temperamentis, febribusque obtusioribus præstat

ali-

aliquod amarum ventrem aperiens, ut polypodium quercinum, aut radices lapati acuti, ſimul cum ſenna decoquere, quam mitiores tamarindos. Præterea ferme in omnibus nitroſam aliquam herbam, mercurialem ſcilicet, quæ lubricans eſt, emolliens, & ſuaviter liquans, addere bene eſt; colaturæ vero adjungitur optimo de more manna, quæ mollit ſimul, extergit, & attenuat, ac ſyrupus roſatus ſolutivus, qui efficax, blanduſque penetrans eſt, & horum utrunque ad ℥ i. circiter; hujuſmodi autem potio tertio die repetenda. Porro remittente morbo (poſt ſecundam enim purgationem plerunque tales Febres declinare ſolent, &, continuitate ablata, in periodos ſecari, ac, imminuta peccante materia, in intermittentes evadere) pro tertio purgante in multis uti ſoleo pulvere ſequente, modo in jure ſimplici, modo in decoctione aliqua aut betæ, & cicorei, aut violarum propinando: ℞. Tart. crud. ʒ i. ſs. Agaric. trociſcat. ʒ i. Mercur. dulcif. ℈ i. f. p. S. A. Quod ſi forma boli magis arrideat, cum aliquo ſyrupo pulvis hic compingatur, ſive ſit ſyrupus menthæ, ſive fumariæ, ſive alius cujuſcunque mitis detergentis. Doſis autem variari poteſt, pro ægrotantium varietate; hæc unita glutinoſiorem materiam incidendo, extricando, penituſque educendo, Febrem radicitus extirpare conſueverunt; neque ulla amplius, niſi delinquat æger, recidiva metuenda; quæ ſi ob errorem aliquem cibi nimii, aut pravi, ſubrepat, aut ob ventris parſimoniam, aut demum ob labores mentis, corporiſve, intempeſtive ſuſceptos, fere illam delebit replicata deſcripta potio magiſtralis.

Ne autem triplicem purgationem abſque ratione pluribus præſcribere, quaſi ſuperſtitioſe, aut nimium affectantes videamur; *qui ægritudine pernicioſa corripiuntur, cur ſanantur?* interrogat Sanctor. in Static. de ponderat. Aph. 81. reſpondetque: *quia multorum ponderum ſalubrium ſunt capaces.*

 A cor-

A corporibus enim ægritudines triginta libras auferunt, plus, minusve, prout corpora magis, vel minus repleta sunt, & prout ægritudo magis, vel minus calida, & longa existit. Ex triginta igitur libris evacuati plus, quam dimidium erit morbosæ materiei; si enim plus de bono, quam de malo exiret, aut de utroque æqualis mensura, & nisi bonus humor superet, sive expellat malum, nunquam convalesceret, sed periret homo, quod erui potest ex Hipp. lib. 4. de morb. sub num. 27. ex triginta ergo libris viginti circiter erunt de malo. Jam vero per quascunque naturales, etiamsi initio imminutas, secretiones morbosum gradatim quandoque excernitur, veruntamen non exit aliquid notabile de malo, nisi concoctum, scilicet in urina morbosa materia, quæ excernitur, est eneorema, nubes, hypostasis, crassamentum; aliud pene totum ut plurimum ingestorum excrementum est, sicuti urina potus &c. & parum habens de malo. Crudæ vero secretiones vel alimentorum sunt imperfecta excrementa, vel plus de bono habent, quam de malo. Sic missis libris decem boni, in bene recta ægritudine, ac detracta libra una crudi sanguinis, supponamus libras etiam sex morbosi emitti per alias quascunque secretiones; remanent libræ tresdecim. Quomodo autem tresdecim libras simul concoquet ægra, & gravata Natura, aut quomodo tot libras unica, aut bina purgatione tuto educes? Ideoque in tres vices catharsis bene disponitur, nonunquam in quatuor, si aut copiosior fuerit peccans materia, aut humiliores vires.

Vividioribus tamen, & sensibilioribus adolescentibus, ab externa causa ægrotantibus, nonnunquam supervacaneæ sunt tot purgationes, atque una sufficit, quia istiusmodi corpora parum congregare morbosi, jam antea proposuimus. Ablatæ cruditatis inditio erunt: levitatis sensus in toto, appetitus restitutio, linguæ mundities.

Si

Si alvus dura fuerit, haud abſonum eſſet aquæ leviter mulſæ, ac tepidæ ſyphum unum ſorbendum dare jejuno, hora una ante medicamentum, quo compacta emolliantur; hæcque multo melior videtur, quam *aqua calida aliquot horis epota*, quarum utranque commendat Celſus de alv. duction. ad purgationem. Relictis hoc quoque in caſu tamarindis, ſennæ, & mercuriali addantur flores meliloti, ac paſſulæ ab acinis mundatę, aut hujuſmodi emollientia, ſimulque decoquenda; neque ommittenda manna, & ſyrupus ſupra laudatus; neque omnium parca ſit menſura. Lubricantia etiam oleoſa huc conveniunt, quæ præſertim bilioſis, e ſicco ventre ægre, atque exigua, combuſtaque deponentibus ſunt peropportuna.

Item oleoſorum utiliſſimus uſus, quando adeo impedita, & obſtructa eſt alvus ab impactis craſſis, duriſque fæcibus, ut inde vomitus excitetur, eoque magis ſi phlogoſi in vaſa occupatorum inteſtinorum decumbente, Volvulus enaſcatur, quem notat Sydenham in Febre *Stationaria*, aut *nova* ab ipſo eodem appellata; abſint vero purgantia ſumpta de pillulis, ab illo laudatis; nam pace tanti Viri, cathartica quæcunque, ſtimulum talem habentia hic ſunt perniciosiſſima, & oleoſa tuta, ac omnium optima ſunt, idque & ex aliis Auctoribus didici, & ab experientia. Oleum Amigdalarum amararum, ſæpe in die ingeſtum, ad aliquot coclearia, inungendo interim ventrem emplaſtro de arthanita majore, & minore, æquis partibus (vitata regione ventriculi, ut alvum per inferiora tantummodo moveat unguentum) feliciſſime ad Paſſionem Iliacam in hac Febre non ſemel adhibui. Oleum iſtud minime ori ingratum ita ſumptum fœcum duritiem vel emollit, vel ſaltem involvit, inungitque, ac inteſtinorum corrugationem lenit, atque remittit, viamque lubricat, ut facilius etiam duræ, ſed lubricæ inde, læveſque factæ fœces deſcendere poſſint.

Emplaſtri autem particulæ penetrantes motum inteſtinorum periſtalticum ſuaviter ſalibus ſuis extrinſecus incitant, quin mordeant, ac convellant ſenſibiliſſimam tunicam inteſtinorum nerveam intimam, ſicuti iſta faciunt, in morbo, ſeu ſymptomate tali reprobanda cathartica.

Cæterum uſitatiſſimum oleum amigdalarum dulcium ſimplex, utpote inſipidum, incraſſans, & laxans, in hiſce Febribus, ubi alia poſſunt in uſum revocari, minus placet; in inæqualibus enim febribus omnibus opus eſt purgantibus, quæ aperiant, incidant, detergant, Naturæque calcar veluti ſint ad expellendum, non per viſcida unctuoſa lentor augendus in fluidis, in ſolidis debilitas, atque atonia fovenda, majorque reddenda inſidioſi morbi efficiens cauſa: hæc detrimenta nauſea ipſa, quam oleum iſtud aſſumptum parit, ſatietas, tranſitus difficultas, & anxietates evidenter patefaciunt. Ejuſdem damna alibi tradidimus implicite, quum oleoſa in genere refutavimus.

Sicuti Febres quædam ex chylo Acutæ Inæquales, quæ acceſſionem quidem habent, verum extra hanc quoque calidæ ſunt, & Æquales Seniles: alteræ mediæ quaſi ſtare videntur inter inæquales, æqualeſque, alteræ inter acutas æquales, & chronicas, ſic media quædam purgantia requirunt, v. g. ℞. Tamarindor. ℥ i. Sen. mund. ʒ ii. Herb. Mercurial. M. i. ſs. Coq. ſ. q. Aquæ: Colaturæ ℥ iii. ſs. diſſolve Man. ʒ ii. Ita tamen, ut in corporibus purgatu facilibus, pro majore febrium intenſione, aut tempeſtatis fervore &c. imminuatur ſenna, dilutiorque potio reddatur. Hæc demum quouſque acutæ fuerint febres ad amuſſim obſervanda; quando porro primæ in periodos faceſſunt, ſecundæ in chronicas, dejectiones eæ inſtituendæ, quas febrium tales ſpecies expoſtulant.

Æquali vero alteri ſpeciei, minus remittenti, utpote in quibus febribus pulſus ſemper frequens eſt, calorque major,

jor, ac conſtantior, tutius eſt refrigerantem, mitiorem decoctionem lenientem præſcribere ex tamarindis, aut ſi alvus ſuppreſſa ſit, ex mercuriali, in ſero caprino deſtillato; additur autem & manna ad certiorem purgationem. Iſtiuſmodi etiam blandas vires habent decocta prunorum cum paſſulis; oximel ſimplex in decocto malvæ, aut fænugræci, aut portulacæ; aqua ſimplex cum ſyrupo roſato ſolutivo; aqua ceraſorum nigrorum, cum oleo tartari per deliquium. Magis autem forma liquida prodeſt, quam ſolida. Hæc ſi per diem parum dejecerint, clyſter emolliens, cum ſacharo roſato, aut ſimili, ſub veſperas inijciendus. Ac ſi prima die hæc non ſatis moverint, die ſequente iteranda, & poſtea alternatim, donec morbus frangatur; ita enim tenujor cum ſanguine mixta materia paulatim, ſine ulteriore ſanguineæ maſſæ confuſione, melius ſeparabitur, quam alio calidiore ſtimulante cathartico.

Frigefactorias potiones in febribus ardentibus, quando voles, bibendas dato: lib. 3. de morbis, num. 29. inquit Hipp. qui *in febribus vehementibus, ſi non remittant* (hoc eſt ſi æquales ſint) *intra quatuordecim dies* jure damnat *medicamenta purgatoria*, lib. de medicin. purgantib. ideſt pharmaca, quæ in uſu tunc erant, purgantia acria: ſcammonium, tithimalidem, helleborum &c. quæ vel augent irritamentum, orgaſmum, confuſionem, vel nimis purgant, & cum vitæ periculo. Has frigefactorias potiones (alterantes autem, purgantes, & diluentes una exponit) *multarum eſſe*, ait, *operationum*; *aliæ enim*, ſubdit, *mictionem inducunt*, *aliæ alvi egeſtionem*, *aliæ utrunque præſtant*, *aliæ neutrum*, *aliæ ſolum frigefaciunt &c.* Meliora, ac paratu facilia hæc ſunt; num. 3. *Aquam mulſam aquoſam, ad dimidias coquito, deinde, appio injecto, frigidam paulatim exhibeto*. 12. *ovorum trium, vel quatuor candidum in aquæ congio concuſſum bibat. Hoc valde frigefacit, & ægrum ad alvum exonerandam conturbat*. 15. *Cu-*

cume-

cumeris peponis, corio nudati pollinem ex aqua præbeto. Hæc potio urinam ciet, frigefacit, & sitim sedat. 20. Mala odorata dulcia contundito, & aqua macerato, & aquam bibendam dato. 29. Appii manipulos tres, pulegii pugillos duos, in aceti heminis decem, ad tertias, coquito. Hoc melle, & aqua dilutum aquosum bibat, adjanti pugillo injecto. Hoc urinam ducit, & alvum solvit: Hæc habet, & alia hujusmodi, ut diversis temperamentis apta seligere quisque possit, quemadmodum antea commonuit: *Dabis itaque alias aliis, neque enim dulces omnibus conducunt, neque acerbæ.*

Quum tractatum hunc meum revisendum, corrigendumque susceperim, Hippocratemque super hæc maxime controversa diligentius consulerem, quanto perfusus sum gaudio, cum invenirem observatiunculas meas, indeque excussam hanc medendi rationem ab Medicorum Magistri oraculis, quorum plurima solummodo post effectuum animadversionem lecta intelliguntur, illustrari, confirmari, minime dissentire!

Febres mali moris, cujuscunque sint classis, diebus criticis plerunque exacerbantur, quod ex Baglivo, de suis mesentericis loquente, observavi. Illis igitur diebus, nisi necessitas urgeat, satius est a purgantibus obstinere, saltem in virium imbecillitate, aut in alvi fluxu. Istud primum adumbrasse videtur Hipp. lib. 4. de morbis, num. 29. ubi diebus febrium imparibus *medicamento forti uti* periculosum esse, docet, quia ægri nimium purgantur, *non ita paribus*.

Quod si ex signis, cap. de prognosi traditis, metuatur Acutarum transitus in malignas, si ipsæ febres ex inæqualibus sint, neque accessiones frequentes, callidioresque sese invicem excipiant, nec adsit alvi fluxus, neque admodum fuerint prostratæ vires, supra dicta purgans potio magistralis necessaria est; nam occasio hic præceps, & quo tardius educitur materia, eo facilius subrepit, ac deterior malignitas; ideoque certa per hanc instituenda purgatio, eo-

que

que magis ſi alvus diu adſtricta manſerit. Si autem crebriores fuerint, æſtuoſioreſque exacerbationes harum febrium, in quibus metuitur malignitas, breviorque remiſſio ſit, quam catharticum validum tuto ſumi queat, aut reipſa ad æquales inclinent, adhibendæ temperantes deſcriptæ blandæ ſubducentes decoctiones, & partitis etiam vicibus propinandæ, ſi pulſus langueant, mitioribus etiam clyſteribus, ſi opus ſit, evacuationem adjuvando. In alvi fluxu notabili fere ſuſpendendæ; etenim in malignis majus, quam in aliis diſcrimen ab excedente catharſi, damnumque, tum ob virium inſignem depreſſionem, tum ob perturbatiſſimæ Naturæ ſtimulum, ferme irreparabile. Hoc in caſu quid tuto faciendum ſit, videbimus in ſequente.

In epidemicis contagioſis Practici, præſertim Chymici, vomitoria celebrant. Hæc quidem triplici ratione agere valent. Primo ſaburram ſtomachi, & primarum viarum evacuando; ſecundo ſalivam, per quam contagium magna ex parte capitur, exprimendo, ſimulque accepta miaſmata; tertio vi illa, conatuque vomendi conatum Naturæ in expulſione ſanguinis per ſua vaſa juvando. Veruntamen emethicorum quodcunque in malignis, nonniſi fortioribus temperamentis dare auderem, iiſdemque facile vomentibus, & non pro primo auxilio, veluti male tradit Ethmuller. de feb. malig. de petic. & feb. peſtil. ſed poſt ſufficientem ſanguinis detractionem, quæ omnino præmitti debet: tum ubi a cruditate quidem oppreſſa eſt, non victa Natura. Vomitoria autem in malignis nondum ſalubria expertus ſum.

Omnium ſane optimum, tutiſſimumque remedium in malignis quibuſcunque, etiam ab contagione ortis, epidemiciſque Febribus purgans, quod frequente uſu comperii, eſt ſupra recenſitum oleum tartari per deliquium, ad ʒ ii. circiter, in emulſionibus, qua ratione ſumptum minus eſt ingratum. Hoc quidem in omnibus Febribus ab chyli crudita-

ditate productis, & præcipue in æqualibus secundis, verum & in malignis, facta jam sufficiente sanguinis detractione, fere omnes indicationes adimplet; nanque id acido salso suo, sensim, atque efficacissime penetrante sine ulla commotione sanguinem incidens; simulque refrigerante qualitate temperans, quippe quod *coacta dissolvit, dissipata cogit*, aperit, ac destruit orgasmos (hinc in quibus tenujor magis mixta est & ubique cum sanguine materia, videlicet in modo dictis æqualibus, aliis catharticis nequit ad conferentem secretionem commodius congregari, quare hujusce in ipsis utilissimus usus) motumque intestinum, putredinosum compescit; quæ præstando etiam per consequens circuitionem rectam instituit, quod in malignis est maxime necessarium, ac versus glandulas ideo dirigit, fluidumque illac, quo reipsa determinat stimulus ipsius suavis catharticus, optime, & conferenter evacuat, absque ulla virium jactura; etenim serum sanguinis per sedem non educit, sed tantummodo crassius fœculentum; seri autem residua inquinamenta per urinam, quam multiplicat, amandat. Hæc autem saluberrima ex eo æque parantur, quod solidum quoque vasorum atonicum roborat, sicuti omnia de tartaro petita, quæ etiam externe admota tumores, solidum confirmando, discutiunt; insuperque vasa, ac viscera, glandularum cavitates, orificia, ductusque mundat, abstergit, ac reserat. Fluidum vero, solidumque condiendo, ac firma faciendo, impurumque separando a bono, putredini jam natæ medetur; nam, cum id etiam appositum gangrenas extrinsecas curet, eo magis interius sumptum iniquam, variam, pessimamque cruditatem, putredinis causam e corpore eliminando, corruptionem debellabit. Quamobrem, quum calorem, atque orgasmos refrænet, cohibeatque, etiam in exacerbationibus ipsis tuto adhiberi particulatim poterit; & quum nihil debilitet, conturbetve, in ipsa virium imbecillitate, dummodo ejus sapor

por apte corrigatur, ſaltem partitis vicibus dari, atque etiam poſt peticularum eruptionem quocunque morbi tempore, & quacunque tandem die. Si quis autem etiam ſpirituoſum ad malignas adhibendum deſideret, ad ſpiritum tartari recurrat, qui propinari quit ad gut. vi. aut viii. circiter in emulſione, potuve ordinario; quandoquidem hic pariter ſanguineam maſſam refrigerat, attenuat, malignitati adverſatur, atque ad ſalutarem criſim per eadem conferentia loca, alvum ſcilicet, ac urinam, morboſam materiam incitat, ſitim tollit, & ſecretoria aperit; unde & acuta, & maligna ab hoc quoque vinci poteſt Febris, pariterque chronicæ ſymptomaticæ fortaſſe ſubſequuturæ periculum præcavetur.

Periodicæ ex chylo, quum viſcera ſana ſunt, ſæpe uno ab purgante ex potione magiſtrali deleri prorſus, ac ſine recidiva ſolent. Quod ſiquid nonnunquam remaneat, altera catharſis ex pulvere jam laudato tartari crudi, agarici, & mercurii dulcificati, omnem, primum idonee præparatam, reliquiam radicitus abſumit. Cortex etiam peruvianus ſemper aliquam ſecretionem ſenſibilem promovere haud immerito creditur (quemadmodum pro humanitate ſua, ex aliorum etiam eximiorum Practicorum obſervationibus Patriæ meæ Medicus, de hac eadem, de domo mea, ac de me admodum benemeritus, editiſque operibus clarus Pujatus mihi communicavit) hinc neque illum excludo a purgantibus, cum etiam alvum ab hoc moveri, vulgo ſit notum. Atque ubi parva eſt cauſa, quamcunque ſecretionem ſenſibilem excitet, augeatque, ipſe utilis eſſe poteſt, illiſque adhiberi, qui purgantia faſtidiunt. De Stationaria, ſeu Nova Febre, intermittente facta corticem iſtum triumphare, Sydenham quoque teſtatur. Veruntamen aptius, citius, & minore cum tædio per methodum vere purgatoriam, quæ integram cauſam, nullas linquendo reliquias, ſalubriter, facilique via ex-

trahit, quæque inde bonam, ſecuramque valetudinem, appetitum, cœteraſque functiones omnes ſtatim reſtituit, Intermittentes hujuſmodi curantur; illi enim ægrotantes, quibus cortex peruvianus ventrem non ſolvit, vix unquam a ſpuriis hiſce periodicis bene, penituſque illius uſu liberantur; quod frequentius perſpexi.

Cathartica in chronicis Febribus eſſentialibus, qualia in acutis remittentibus, minuſque calidis, fere conveniunt, doſi corporibus, atque accidentibus apta.

Hoc vero in iniquioribus, ac tumultuoſis Hyppocondriacis advertendum, ut impetum febrilium augmentorum, & ſymptomatum graviorum quandoque inſurgentium ſinamus prætergredi, quibus temporibus frigidioribus ſubducentibus, & clyſteribus, ſi purgandi neceſſitas urgeat, tantummodo eſt locus.

Quandocunque autem febris a mera *ataxìa* ſpirituum ficta protrahitur, cum illa vera febris haud ſit, ſed quædam febris larva, & ſimilitudo, a purgantibus quibuſcunque, atque adeo ab ipſis clyſteribus fere eſt abſtinendum.

In Hæcticis ſint dilutiora purgantia, quemadmodum potiones purgantes; hæ enim demolliunt ſimul, erudiunt, & vehiculo ſunt efferendis conſiſtentioribus cruditatis partibus, ac furfuraceis, cujuſmodi fiunt in Hæcticis chyli ſuperflui, vitioſique corpuſcula diu in ſanguine ſtabulantia; hiſce quippe extrahendis, hæcticoque calori, ac maciei minus opportuna ſunt ſalina ſicca, aut reſinoſa medicamenta. Hac Febre, præſertim provecta extenuatis, poſt univerſales evacuationes ſanguinis, & ſeceſſus, quæ conſtantiam morbi fregerint, optimum eſt lac aſininum dare pro purgante iis, quos lac delectat, ac juvare alias, ſatiſque purgare ſolet; ſiquidem id & blandum eſt demolliens, penetrans, atque idoneo vehiculo ſubducens, quum omnium lactium tenuiſſimum ſit, ac ſeroſiſſimum. Huic defficienti ſubſtitui poteſt

ſerum

ſerum caprinum depuratum ; atque iis, quos non ſatis movet, cum ſufficiente quantitate herbæ mercurialis decoquendum.

In ſymptomaticis autem chronicis his Febribus intervallo majore ab invicem diſtent, & mitiora ſint purgantia, vitando aloetica, ſcammoniata, & ſimilia; nam ſtimulo ab hiſce in viſcera adacto circuitio ſanguinis violentius concitatur, & orgaſmus periculoſus naſcitur in vaſculis ſanguiferis circa obſtructa loca; aut ſaltem, vaſis vehementius inde actis, ex impeditis glandulis exprimitur tenujor ſeri portio, ac ſpirituoſior magis, quam craſſior, vireſque multo magis ſic deprimuntur, quam morbus decreſcat. Poſt primam autem, ſive alteram lenem purgationem bonum eſt uti *apozematis* alterantibus ſimul, atque moventibus, eaque repetere, quotieſcunque ulterius purgandum ſuadebit opportunitas. In principiis magis purgandum, verſus finem magis aperiendum, & ſolido, morbo peculiari laboranti proſpiciendum.

Hyppocondriacis porro, Hæcticiſque Febribus particulariter ſymptomatice ægrotantibus, præcipue quibus lac, & ſimilia minus conſonant, poſt primas evacuationes, immo poſt repetitas purgationes, declinante quidem morbo, ſed febricula obſtinatius inhærente, maxime quando remediorum tædium, ac nauſeabunda, debilitata viſcera a purgantibus abhorrent ulterius ſumendis, utiliſſimæ ſunt Aquæ minerales chalybeatæ Recobarii, Vallis Solis &c. quæ inter purgantia ſunt, interque aperientia connumerandæ, quæque viſcera recreando, ac roborando purgant. Hic de earum purgante facultate loquimur, de aliis eximiis earundem dotibus in ſequente. Has ſeceſſum movere, conſtat, tum ex componentibus, quum eæ ex doctiſſimi Gratiani, Accademiæ Patavinæ, quæ magnum eſt Italiæ lumen, atque ornamentum, olim Philoſophi aureis manuſcriptis deprehendantur continere *partes ſulphureas* (ſulphur autem dulcora-

 tum,

tum, docente Lemery, in ditionar. simplic. est quid catharticum) tum *aluminosas aliquas, & ferreas, ac venas vitriolicas* (vitriolum vero album validum & emethicum est, & purgans) in Terræ officinia mixtas, ac divinitus temperatas; præterea de eadem Aqua minerali Recobarii scribere pergens idem Gratianus habet: *Fermento stomachi nequaquam adversatur..... Dolores stomachi a succorum acrimonia orti pelluntur, & ubi muccosæ quisquiliæ, aut alia concoctionum opus perturbantia ibidem hærent, attenuantur, & excedunt; prostratum appetitum restituit &c.* Alio loco: *infringit vim salium aberrantium, atque per alvum provehit.* Eandem demum Aquam blandissime, & quotidie alvum subducere, experientia demonstrat.

CAPUT UNDECIMUM.

De Alterantibus, Digerentibus, & Diversoriis.

QUÆ traduntur hoc capite remedia vix ullius spei sunt per seipsa, quinimmo pleraque valde periculosa, si absque aliis præmissis usurpentur, quemadmodum docuimus; verum post phlebotomiam, & purgationem, interque purgationes adhibita suum habent pondus, fereque omnino necessaria censentur; quapropter post illas de hisce nobis disserendum, quippe quæ secundum ab illis obtinent locum.

Duæ sunt rationes, quibus Natura cacochymiam a sanguine eliminat: per glandulas separando, & per abscessus detrudendo. Utraque esse potest critica, & symptomatica: Criticæ sunt, si secernantur quæ secerni debent, si secernantur per loca conferentia, si tempore, si modo idoneo secernantur; contra utraque est symptomatica. Natura per se modo criticas præstat, modo symptomaticas. Ars autem curare debet, ut semper fiant criticæ. Phlebotomia,

mia, & alterantia utramque harum excretionum reddere solent salubrem. De phlebotomia satis dictum est, posteaque ostensum etiam, cujus esse debeat, & per quas glandulas secretio, ac quæ eo loco dicenda erant circa hanc evacuationem quoque attulimus; ut autem utraque expulsio citius, tutius, & commodius critica fiat, præparantia alia trademus, nempe alterantia, ac digerentia; insuperque certa diversoria critica instituemus, quæ suppleant abscessus, qui incerti sunt, atque ancipites, malosque etiam fientes corrigant, ac vertant in bonos.

A primis igitur incipiendo, scilicet ab alterantibus; in acutis istiusmodi Febribus, præsertim in illis, quæ ab initio magis calore vigent, eadem sæpe, qua celebrata est venæ sectio, die sub vesperas hanc do emulsionem. ℞. Amigdalar. dulc. Amig. amar. excorticatar. ãa. ℥ i. aut ℥ i. ſs. Semin. quat. frigid. maj. ʒ vi. aut ℥ i. contunde affundendo aquam hordei, aut pimpinel. ℔ i. colaturæ, & expressioni adde syrup. violar. ℥ i. quo vero die pharmacum hauserint ægri, & sint purgati, si languidi sint, vel hyppocondriaci, aut fœminæ hystericis affectionibus subjectæ, pro syrupo dicto, more Sydenham, syrupum de papav. albo adijcio, semperque salis prunel. ʒ i. immisceo. Emulsionem autem quotidie, si febris urgeat, & accessiones protrahantur, solam absque cœna particulatim offerre soleo; sin evacuationibus, morboque, antea graviore, & protracto debilitatus fuerit æger, bis, vel ter in accessione declinante permitto, ut sumat de emulsione ante cœnam, quæ, ita conservatis viribus, amplius differri potest, magisque tenuari; sicque quotidie, donec status præterierit. Hac emulsione & suaviter temperantur humores, & blande refrigerantur, & noctis molestiæ præcaventur, aut imminuuntur. Ommittantur amigdalæ dulces, aut restringatur quantitas in torpidis Febribus insidiosis, inæqualibus, & amararum potius augeatur dosis.

Mane

Mane porro altero a purgatione, & diebus a purgatione vacuis, jejuno ſtomaco, aperiens hoc blandum antiphlogiſticum utile exhibeo. ℞. Herbar. cichor. capilv. āā. M. i. Coque cum ſ. q. Aquæ Font. &c. colaturæ addi poteſt aut nitrum ad ℈ i. ſive ad ʒ ſs. aut chryſtal. tartar. ad ℈ ii. in aliquibus ad ʒ i. Et ſi conijcio acidum dominari, in locum iſtorum pono oculor. cancror. ſimiliter pulverator. eandem menſuram. Quod ſi ad cachecticum colorem inclinet ægrotus, quemadmodum in aliquibus Quotidianis, & in quibuſdam Senilibus, deſcriptis herbis aliquid de comis abſynthii adjungere opportunum erit. Pulvis autem decocto infundendus pro hebetioribus hiſce temperamentis ſit vel nitrum ſtybiatum, vel ſtybium diaphoreticum, idque ad ℈ i. aut ad ʒ ſs. ad ſummum, ne ullas turbas excitet; impoſterum, nempe poſt ſtatum, doſis ſine periculo augetur; nonnullis talibus, præſertim ruſticis, & tartarus crudus ad ℈ ii. aut etiam ad ʒ i. conveniens alterans eſſe judicatur. Vel ſi forma boli magis arrideat, cum ſyrupo de fumaria, ſeu de cichor. cum rheo, ſeu alio ſimili confici poſſunt boli. Sic & de ſuperioribus pulveribus, cum aliis ſyrupis: de acetoſa, ſeu de pomis &c. fac ad libitum.

Si vomitus importune excruciet, Riverianum illud ex cocleari ſumatur. ℞. Salis eſſential. abſynth. ℈ i. ſucci limon. ʒ ii. In æqualibus, ferventibuſque febribus, vel ſolus iſte ſuccus primum tentetur, vel aliquid maſtiches pulverat. addatur pro ſale abſyntii; ſin minus hæc proſint, ſaltem ſuccum auge, quo minus illud acre lædat; taleque alterans particulare, & univerſale etiam per diem poteſt iterari, ſi opus videatur.

Sic alterantia variantur, ut in inæqualibus, minuſque calidis febribus, atque in hebetioribus grandævis corporibus, mulieribuſque aquoſioribus, præcipue hyeme, aut ad hyemem, alterantia ſalibus magis vigeant, minuſque inſipidorum

rum contineant liquorum ; in oppoſitis vero temperamentis, febribuſque calidioribus , & maxime in claſſe æqualium ſecunda , ad frigidiora diſgregantia , & ad diluentia ſuaviora ſit recurrendum .

Optimum porro in omnibus, tam acutis, quam chronicis Febribus , in quibus pulſus præter morem duriuſculus manet , obtuſuſque , tum maxime in quibus vermium ſuſpectus , atque adeo in malignis Febribus , ubi præſertim ſecretiones cujuſcunque generis aliis minus obtemperant incidentibus , mitiſſimum , atque efficaciſſimum alterans eſt mercurius dulcis , poſt ſecundam purgationem , atque alternis diebus præſcriptum ad ℈ i. neque unquam ab eo vidi aut ſalivationem , aut aliud vel minimum incommodum ſubrepiſſe .

Hæc omnia poſt catharſim adhibita urinam quoque excitare ſolent , & multiplicare .

Cauſarum præterea minus proximarum reſpectus haud negligendus, ut curationes difficiles quam meliore modo peragantur , eiſque per opportuna occurrendum in alterantium adminiſtratione . Itaque num ſolidum , num fluidum , num utrunque primario peccet , perſpiciendum ; idque ex accidentibus ad primam morbi originem , ex temperamentis , conſtitutionibus &c. conijcietur . Verum quidem eſt , quodcunque tandem ipſorum in culpa ſit , maximam curationis partem abſolvi ab evacuationibus memoratis , quæ ſanguineam maſſam emendant , ac expurgant de materia morbum efficiente , quomodocunque fuerit parta ; & ſi recens plenitudo ſola ſanguinis , vel chyli , vel utriuſque , cruditatem , & febrem repente invexerit , omitti etiam poſſe alterantia , atque evacuationibus prædictis , utpote cauſam tum proximam , tum omnem , effectumque , quaſi illico , citove abſumentibus , rem totam comitti poſſe . At ſi , impura , multiplex , & denſa plenitudo ſanguinis , & chyli ab

ini-

initio morbum fecerit, aut mora, ſecretioneſque cohibendo; quæcunque cruditas in talem evaſerit, quum hæc inquinet omnia, obſtinate adhæreat, & glandulas etiam inferciat, ea inſuper neceſſaria ſunt, quæ attenuent, concoquant, digerant, ſeparent, aperiant, detergant, uno verbo quæ ad ſecretiones diſponant, & purgantibus auxilientur, ut multa, quotidie aucta, involuta impuritas ſola, ſi fieri poteſt, evacuetur, & tota, non vero tenujor, ac feroſior portio ſanguinis, quæ ab coacta, alte, graviterque infecta maſſa, lentiſſime circumeunte, per catharſim inopportunam exprimi conſuevit, relinquendo craſſiſſimam, ac viſcidiſſimam, non præparatam materiam, neque cum ſecretoriis proportionem habentem. Cœteris igitur recenſitas facultates poſſidentibus antecellunt ſcabioſa, ſcorzonera, ſcordeum, ruta capraria, dictamum album, & alia hujuſmodi.

Si ſolidum atonicum primario cruditatem procreaverit, factis primis evacuationibus, proderit primulaveris, quæ ſolidum peculiariter reficit, nervoſum ſyſtema probe confirmando, unde & paralyſis vocatur; acetum roſatum; acetum ſimplex; tartarea juvant, ſuccus granatorum, ſyrupus de acredine citri, & ſimilia, quæ omnia corporis univerſi fibras roborant, abſque calefactione, humorum rarefactione, ſecretionumque imminutione.

Sin autem ſolidum ab ſpirituum jactura detrimentum ceperit, poſt ſupra enunciata eſſentialia digeſtionem cruditatis promovebunt ſpirituoſa aromatica, cardiaca, talia ſunt aqua herbæ cardiacæ: aqua herbæ menthæ; aqua totius citri &c. hæcque ſpiritus reparantia, non omiſſis indicatis reliquis alterantibus, neceſſario adhibenda, præſertim quando febres a contagio exortæ fuerint, tum in aliis quibuſcunque malignis intercurrentibus, ubi viribus metuitur. In iiſdem omnibus ad ipſum utiliſſima eſt aqua theriacalis Bauderoni, utpote quæ eſt temperata, ſic cordialis aqua Saxoniæ, campho-

phora &c. Multum commendatur a Practicis celeberrimis ſpiritus ſanguinis humani. Hæc, inquam, in perniciofiſſimis hiſce Febribus valde proficiunt, in quibus, plenitudine, & pleraque dempta peſſima impuritate, ſpirituum reſtauratio prima eſt intentio. Calidiora tamen nonniſi caute imperanda, frigidiſque corrigenda, ut emulſionibus, ſyrupis, aquis acidulis de ribes, de limon. &c. ſemperque extra acceſſionem propinanda, atque habita pulſus ratione.

Alterantia ſimul, & Diverſoria Acutarum Febrium ſunt vexicantia; Hæc enim acribus volatilibus ſalibus penetrantibus præparant crudiorem, rebelrioremque materiam; nam quod alterantia alia relinquunt extricandum, ac diſcindendum vexicantia acutie, & aſperitate majore ſuarum particularum diruunt, ac demoliuntur; vexicantia itaque & alterantia ſunt, & alterantium aliorum ſupplent defectum, crudum oleoſum, a purgatione, aliiſque alterantibus reliquum ſeparando; ejuſque exinde partem revellunt, extrahuntque, partem aptiorem reddunt, atque obtemperantiorem purgantibus, impoſterum ingerendis: & reciproca vice purgantia eadem efficiunt, ut uberius purgent, quod obſervavi, vexicantium plagæ, craſſius vaſa tenuja obſtruere valens deponendo per inteſtinorum ſecretionem; Sic cruditas bene dirigitur & per glandulas, & per emunctoria vexicantium paulatim effertur; dummodo & alterantia antea memorata vexicantibus inſerviant, diluendo, & detergendo, quo materia promptius fluat ad loca excoriata; inſuper avolatis e corpore, eliminatiſque cantharidum ſalibus, alaterantia attenuantia ſumpta præparare debent vexicantium emunctoriis materiam; ad id efficaciſſimum mercurium dulcem expertus ſum, qui tunc temporis bene præſcribitur. Cum vero in his periculoſis Febribus haud ſemper eas abundantes purgationes inſtituere poſſimus, quæ neceſſitati reſpondeant, neque perenniter, aſſidueque ad unum locum va-

riæ cruditatis partes, per ſanguinem ſparſæ, cum eoque interdum ubique mixtæ, quæ in mali moris febribus aſſidue vitæ periculum minitantur, in Natura pene jacente, aut turbata tuto, commodeque reduci queant, poſt generales primas, quæcunque eæ ſint, evacuationes, ſi hiſce nihil cedat, ſeu ceſſurus videatur morbus, ſeu ab iis pacatus recrudeſcit cum pulſu debili, ac molli, non pleno, die quarta, aut quinta, dummodo vel ex abſentia frigoris acceſſionalis, ſive ex eo ſublato, cognoveris magis, & ubique mixtam eſſe materiam, diverſoria omnino neceſſe eſt apponere, vexicantia ampla, biniſque plura. Denique vexicantia non modo fluidum præparatione, atque expurgatione, de quibus hactenus, juvant, verum & ſtimulis ſuis contrahunt, reſtituuntque ſolidum in tonum, atque hinc quoque circuitionem attenuati, præparati, correctique ſanguinis accelerando, ſecretionibus reddunt promptiorem: id autem præſtant ſpiritus animales excitando, eoſdemque ad irradiationem per illatum artubus dolorem avocando.

Hæc itaque adhiberi poſſunt in Febribus gravioribus, perquam inſidioſis, atque adeo graviſſimis, in quibus ægrum magis urget oppreſsio, quam febris; ac fere neceſſaria ſunt ubi ſive nullis, ſive inutilibus uſurpatis remediis, malum in deterius proceſsit, febriſque facta eſt minus remittens, & magis æqualis: neceſſaria in hoc caſu ſunt vexicantia ad Naturam citius excitandam, quam a confirmato morbo prorſus ſuperetur; iis tamen præmittendæ, ſi fieri poteſt, primæ evacuationes univerſales; tum in paucis viribus, ubi neque exercentur, neque excitari aliis remediis valent ſenſibiles ſecretiones, ad ea confugiendum.

Hæc eadem itidem indicantur, ubi decubitus periculoſus ſit ad cerebrum, unde comatoſi affectus, aut delirium, in quo ſimul cum vexicantibus artubus apponendis tutius eſt præſcribere interna refrigerantia, ut minor ab cantharidum

par-

particulis naſcatur in ſanguine confuſio, præſertim in calidioribus temperamentis, atque in fortioribus æqualibus; talia ſunt emulſiones cum ſale prunellæ, ſuperius laudatæ, ſpiritus nitri, aut tartari ad guttas aliquot potui ordinario infuſus. In delirio contumaciori, lethargo &c. mos eſt quorundam vexicantia ſtatim, aut cucurbitulas occipiti applicandi, indiſcriminatim in omnibus; quibus autem multa ineſt cruditas, tanta videlicet, ut aut malignas, aut graviores pepererit febres, ſtimulus occipitis multo plus turgentis impuritatis attrahet ad cerebrum, præſertim impurgato corpore, quod vulgo conſuetum, quam extrahi ab eodem emunctorio, atque educi poſſit. Melius igitur, demptis craſſioribus per opportuna remedia, primum diverſoria cruribus, & brachiis affigere, in ſymptomatis capitis, atque ad oppoſita, & ignobilia, Priſcorum imitatione primum materiam revocare, his porro cæſis, occipiti aut vexicans aliud, aut cucurbitulam profunde conciſam adhibere, ad peculiarem lentorem excutiendum, & quoquo modo derivandum, ac divertendum.

Decubitus quoque turgentis materiei ad pulmones per feminibus aptata vexicantia præcavetur, ſive imminuitur.

Omnibus profecto iſtiuſmodi periculoſis Febribus in dictis accidentibus conveniunt vexicantia, ſed maxime in malignis, præſertim ſi alvi fluxus ſymptomaticus, creſcente morbo, perſeverans vires, pulſuſque depreſſerit; hoc in caſu neceſſe eſt ſtatim vexicantia apponere, quæ revellant, præparentque materiam, ne nimius, & crudus cum vitæ diſcrimine ſinatur alvi fluxus, reſſolventibus interim datis, vel abſorbentibus, prout opportunius videbitur, cum mitioribus roborantibus, quæ in aliis minus horribilibus febribus, factis faciendis, etiam ſine vexicantibus, ad idem temperandum ſymptoma magnopere faciunt. Sic ubi impacta magis irritant, quemadmodum in diarrhæa magis torminoſa

quam abundante, eaque reſſolutione opus habent, ℞. Merc. dulcif. ſubtiliſs. pulveriz. G. viii. oppii pur. Gr. i. ſs. cum extract. ſcabioſæ, aut conſerva florum lavendulæ, aut ſimili, pillula conficiatur, ſub ſomnum deglutienda. Si vero debilitata viſcera in alvi fluxu quandam lævitatem inteſtinorum portendant, ℞. Conſerv. Menth. odoræ, pulveris e chelis cancror. fluviatil. āa ʒ i. cum tinctura juniperi, aut roſar. rubrar. aut corallor. fiat maſſa, cujus dimidium capiat mane, aliud incipiente nocte. In omnibus autem diu manantes ſerventur vexicantium abraſiones, per emplaſtrum alterutrum uſitatiſſimum Aſtori, donec morbus penitus conquieverit.

Cœterum quando poſt ſufficientes ſanguinis detractiones, & binas catharſes, deliria, vigiliæ, anxietates eiſdem cedere, ac febres declinare videntur, aut ſaltem in meliores, tutioreſque faceſſere, nempe oſcuræ acceſſiones in patentiores (quamvis calor intenſior ſit, quam antea) & ſuccedere diſtinctiores remiſſiones, longioreſque, tum ſecretiones laudabiliter vigere, omitti poſſunt vexicantia, eoque magis ſi febres minus ſuſpectæ fuerint, ac ſi dira, pericuIoſaque ſemper abſuerint ſymptomata, partibus principibus minitantia; etenim alia vulgaria partium iſtarum, aliarumve incommoda, quæ in hujus generis Febribus ferme omnibus occurrere conſueverunt, aliis mitioribus externis auxiliis queunt ſublevari, dum principalia, a quibus potiſſima cauſa vincitur, celebrantur.

Sic capitis dolorem mirifice temperat aqua ſimplex, ſive roſarum, & acetum, æquis portionibus, ſi linteola iiſdem madefacta fronti, vel etiam calvariæ applicentur, ac ſæpe renoventur, quippe quod acetum in capitis dolore febrili externe, & interne quoque utile proponit Cornelius Celſus, lib. 3. Med. cap. 10. de remed. in febrib. ad capitis dolorem.

Affe-

Affectum vero ſtomachum juvat, & recreat emplaſtrum ex abſynthio, cum aceto, contrito; ſic emplaſtrum de cruſta panis Montagnanæ, aut ſimile aliud, quemadmodum & panis toſtus, cum vino malvatico, quod præſertim in Febribus malignis adhibendum.

Phlogoſi hyppocondriorum, aut ventris doloribus compeſcendis apta ſunt fomenta ex decoctis herbarum nitroſarum: ſaponariæ, parietariæ, ſempervivi, anacampſeros, primulaveris, additis aliquando paucis diſcutientibus verbaſci foliis &c. ubi tenſio eſt ſpaſmodica, omentum vervecinum, ſtatim ab extractione aptatum, tepideque repoſitum magnopere levare ſolet.

Multa autem alterantia tam interna, quam externa fere communia eſſe valent tam acutis, quam chronicis hujuſmodi Febribus.

Quod ſi ex febris in longitudinem protenſione, aliiſque propoſitis ſignis, non acutas, ſed chronicas febres eſſe, animadverteris, alterantia pariter erunt prorſus neceſſaria ad diſgregandam, ſolvendamque cruditatem.

Chronicis eſſentialibus jam tradita alterantia ferme, inquam, communiter conveniunt, a mitioribus ſemper incipiendo, quibus addenda quædam tanquam ſpecifica; nam aliæ febres ſunt tumultuoſæ, aliæ pacatiores.

In Hyppocondriacis, ablata pleraque ſanguinis cruditate, ad ſolidum roborantia non ſtyptica, ad ſtomachica, ad nervina, ac ſpirituoſa confugiendum; quum ſolidum viſcerum, & ſpiritus animales magis in hiſce langueant, quam in Hæcticis. Prima talia erunt: fumaria, quæ ſolidum confirmat, & alvum, quæ fere ſemper dura, ſegniſque in iiſdem eſſe conſuevit, liberam ſervat; eaſdem vires habet therebinthina, utraque etiam humores blande reſſolvit, & per urinas ducit. Ideoque hujuſcemodi remedia, poſt primas evacuationes, tuto in uſum, citoque revocari poſ-

possunt. Similibus facultatibus, sed fortioribus prædita sunt mirrha, lapathum acutum, sal armoniacus.

Ventriculo amica sunt, quibusdam in his febribus, temperamentis, atque temporibus, lenia stomachica, quemadmodum ribes, cichorea, endivia, opobalsamum; in aliis mediocria, veluti cortex aurantiorum, cortices, & semina citri, anisum, & reliqua hujusmodi; in aliis fortia, sicuti angelica, zedoaria, calamus aromaticus, ruta muralis, arum, absynthium, raphanus rusticanus, & similia.

Inter aromatica simul stomaco gratiora, atque spirituosa est mentha redolens, hæcque utilissima in hisce Febribus omnibus, ab chyli cruditate productis, quotiescunque spirituosis utendum; etenim hæc solidum, specialiterque ventriculum, atque abdominis viscera juvat, & fluidum ipsum, idem solvendo, attenuando, concretiones demolliendo, atque ab iisdem arcendo; quippe quæ lac etiam in mammis coactum, grumefactumque ressolvere, ac digerere ab Authoribus dicitur; quapropter & chylosæ cruditatis in sanguine crassitiem, visciditatemque diruet, atque ad excretionem præparabit, cum lac nihil aliud sit, quam elaboratior chylus, cum aliqua seri sanguinei parte commixtus; & quum lacti infusus illius herbæ ejusdem succus hoc ab coagulatione, in quam sponte per acescentiam tendit, mirabiliter vindicet, ita chylum novum a condensatione præservabit. Deinde spiritus animales, sanguinea massa in melius disposita, volatilibusque amicis particulis vivificata, reparat, reficitque. Melissa, post illam, & attenuat sanguinem, & spiritus exhilarat, atque multiplicat, sic anthos, spica nardi, cinnamomum, ocimum, quod mestitia, ac melancolica desperatione, hisce febribus hyppocondriacis frequente affectos recreat, eo quod per massæ sanguineæ similem correctionem, erectionemque spiritus vitales restaurat.

Alia sunt spirituosa quidem, sed amara fœtida, atque in-

ingrata, ſpiritibus dicata caſtigandis, ac moderandis, quæ convulſionibus, ſpaſmodicisque doloribus ſubveniunt, talia ſunt ſpiritus cornu cervi, oleum ſuccini ſtillatitium, caſtoreum &c. In effrænis tamen ſymptomatis, remedia cœtera ſpernentibus, ad laudanum recurrere neceſſe eſt, ſive ad reliqua oppiata, quod omnes ſuadent Auctores.

Quo loco duo reminiſci, quæ alibi attigimus, haud duco ſupervacaneum, nempe fortia alterantia amara, aromatica, roborantia, & ipſa oppiata non prius eſſe imperanda, quam multum de cauſa demptum ſit; neque eadem unquam in acceſſione febrili, quamvis chronica, eſſe ingerenda. Hiſce in caſibus alterantia, & roborantia optima erunt aquæ fragorum, ceraſorum nigrorum, borraginis, & aliæ hujuſmodi; *paregorica* vero ſuccus lactucæ æſtivæ lacte repletæ, ſuccuſque mororum, quæ a Celſo Medic. lib. 2. cap. 32. ſomnifera dicuntur, aut ſaltem oppium parva doſi, & frigidis, acidulis, & diluentibus corrigendum. Neque ipſa externa tuta judico in vigore acceſſionis, quæ aliquo modo magis rarefacere valeant, cujuſmodi eſt apud Celſum eundem, *Crocinum unguentum, cum irino*, quod *in caput datum prodeſt ad mentem componendam, & ad ſomnum revocandum, ſub quo plerique mente moti ſaneſcunt*; quod provecta curatione, atque extra acceſſiones, melancolicis quibuſdam utile eſſe poteſt.

Talia ſane in uſum revocare bonum eſt, attamen quum viderim, ſatellitem quendam Romano Cœlo natum, craſſioris antea, robuſtique temperamenti, ſed ab hyppocondriaca febre, diriſque ſymptomatis ad plures menſes vexatum, extenuatumque, dictis remediis a me præſcriptis profeciſſe quidem, ſed non convaluiſſe, niſi ad uſum calybis, atque equitationis tandem imperandum devenerim, de primo nunc, tanquam præcipuo alterante, tractandum, de altero ſuo loco. Non hic de Aquis loquor chalybeatis, illas enim, ut-

pote

pote præstantiores, virtutibusque ditiores, & tanquam purgantia alibi commendavimus, & tanquam alterantia eo distulimus, ubi magis, dupliciterque gravata Natura parem opem exposcit, sed de chalybe vel limato, vel chymice elaborato, sive in pulverem, sive in syrupum, sive in tincturam redacto; chalybs enim facilius habetur, quam istæ Aquæ, & quocunque tempore; quod autem per hunc præstari valet non semper requirendum ab illis. Is est alterans & fluidi, & solidi universale, & particulare; attenuandoque sanguineam massam, & vasa, ac viscera roborando, spiritusque ipsos confirmando cœteris sive ex vegetabili, sive ex animali regno desumptis, huic speciei chronicarum aptis alterantibus ferme omnibus antecellit. Quos igitur alia istiusmodi remedia *non sanant*, *sanat ferrum*, cujus solutæ particulæ & diu servant qualitates ponderis, asperitatisque, quibus accelleratur, expediturque sanguinis circuitio, tum crassa, ac viscida sanguinis excrementa discinduntur, & solidum, ejusdem mineralis tinctura idipsum quodammodo ferruminante, restituitur in tonum; ex his porro in fluidum, & solidum actis fit, ut præparetur, ac propelli queat ad sua secretoria cruditas, faciliusque ab purgantibus eliminari; a purgatiore vero, vegetiore, rectiusque eunte sangine melior, valentiorque spirituum copia separatur: hæc demonstrantur a pulsu frequentiore, erectiore, firmioreque facto; quibus omnibus & digestio, & reliquæ functiones paulatim resarciuntur, febris autem, atque alia incommoda dissipantur. Peculiariter autem succos gastricos corriget, stomachumque, & intestina præ cœteris confirmabit, cum in ea primum ingrediatur, agatque sincerus, cumque vomitui, & diarrhæis frænandis, ex Veterum, Recentiorumque observationibus, ferrata, aut chalybeata inserviant; non tamen styptica ea sunt, quum vinum ipsum, in quod ferrum fuerit infusum, alvinæ etiam secretioni servandæ in

plu-

pluribus conducere animadverterim. Hoc remedium Hyppocondriacis magis, quam Hæcticis competit, ob majorem fibrarum, nervorumque laxitatem, ac ſpirituum diſtinctam imbecillitatem, hyppocondriacis perquam familiarem; quia chalibs compertus eſt aptius, commodiuſque juvare laxa, atque humida temperamenta, & chronicis morbis afflictos, quam hirſutos homines, aut acute laborantes, in quibus merito damnatur.

Hæcticis magis accomodatum eſt oximel ſcylliticum ad ℥ iii. circiter cum decoctione parietarię, in ſero caprino deſtillato facta; ſic enim emollit, incidit ſanguineam maſſam, attenuat, diſcutit hetherogeneum chylum; detergit, ac vivificat ſolidum, mundificat viſcera, & corpus univerſum; deinde ſapo venetus commendatur cum eodem vehiculo; ita denique ſales urinoſi adhibendi, ubi morbus reſiſtere videatur; hæc enim ſiccum glutinoſum, & minimorum globulorum, fibrarumque primarum ſanguinis debito tenaciores chyloſas concretiones iterata diruent.

Tum celeberrimum illud Anti-hæticum Poterii, quod ſcilicet nihil aliud eſt, quam merum alterans, & præparans. Huic autem nitroſæ decoctiones ſuperbibendæ, ſiccius enim eſſe videtur. Nitroſas decoctiones ſuppeditabunt herbæ deſcriptæ. Iſtud etiam, ſiccuti & ſales urinoſi, minimos canales a partium remora liberare putatur.

Aliud quaſi ſibi particulare minerale, Anti-hæctico iſto multo tutius, atque efficacius habent Hæcticæ Febres, nempe alibi laudatum mercurium, in officinis præparatum, & dulcificatum. Alterans quidem id commune eſſe valet ferme omnibus Febribus ex chilo, præſertim acutis, atque ipſis malignis, quia diſgregans, & reſſolvens frigidum, ac blandiſſimum eſt, vix quidquam ſtimulans. Veruntamen, cum ſæpe alia in Acutis queant in uſum revocari; & cum in Hæctica ſolidior, quam in reliquis omnibus febri-

bus, cruditas alio fere nunquam possit alterante demoliri; ut ad secretionem disponatur, atque ad expurgationem; ipsiusque itidem sanguinis durioris, & vetustioris, quam in febribus aliis, dissolvi ab invicem non valeant globuli, ac fibræ, ut sanguis immutetur, nisi mineralibus; cumque demum mineralia cœtera vel nimis irritent, vel nimis exsiccent; hoc unum specifice indicatur. Ista autem egregie præstat, quia minerale ponderosissimum est omnium, auro excepto, & quia pariter, quacunque data ansa, omnium est metallorum divisibillimum in minima, omnium maxime penetrans quoquoversum cruditatis porulos, globulorumque, & molecularum sanguinis, eaque sensim in serum, & lynpham solvit; unde concoctio, renovatio, & secretiones promoventur; insuper lynphatica pervadit, expeditque vias, & glandularum destruit, si natæ fuerint, obstructiones.

Quibus si jam viscera teneri, Febresque sive Hyppocondriacas, Hystericasque, sive Hæcticas jam symptomaticas esse, perspexeris; visceribus ipsis vel primario, vel secundario afflictis, opem ferendam esse, manifestum est; quandoquidem & fomes auferendus est, ut hæ febres conquiescant, & remedia ita disponenda tunc sunt, ut & primario morbo, & postea oborto satisfaciant.

Pulmoni læso, unde Hæcticæ Febres symptomaticæ, satis consultum est ab aliis Practicis, ac præsertim ab insigni Morton, qui cœteris omnibus Phtysiologia facile antecelluit.

Affectis quoque abdominis visceribus, unde Hyppocondriacæ, & Hæcticæ hujusmodi, multa ab Scriptoribus tam interna, quam externa offeruntur. Valde prosunt plantarum aperientium, ac detergentium succi, saponacea, sales lixiviales; quædam animalcula oleosa salina, arte præparata; mineralia quædam. Sic ℞. suc. depurat. saponarie ℥ ii. ſs. suc. mercurial. ʒ v. salis tart. lixivial. ʒ i. Vel ℞. suc. depurat.

rat. betæ, parietar. ãa ℥ ii fuc. verben. ʒ iii. his addendo aquæ cinnam: feu caryophillor. q. f. ad faporem verbenæ temperandum. Verbena cum aliis iftis bene agit in muccofum crudum impactum, fixumque in glandulis primarum viarum: illa emolliunt, erudiuntque, hæc idipfum folvit, atque e glandulis verrit, unde & nomen derivatum eft. Sin formam folidam mavis, ℞. Calomelan. Turqueti, afellor. pp. fapon. venet. raf. ãa. ℈ i. oppii pur. Gr. 1. cum f. q. oximel. ireat. fiant pillulæ. Oppium autem validiffimum difcuffivum ab Practicorum præftantiffimorum obfervationibus deprehenfum eft. Si decoctum merum velis, ℞. Sarfeparil. concif. ℥ ii. fem. anif. ʒ ii. Infunde per horas xii. in aq. font. ℔ iii. tunc adde fcrophular. marrub. alb. ãa. M. ii. ficuum ficcor. num. v. coque lento igne ad quartæ partis confumptionem; colaturæ mifce vel fyrupi de quinque radicib. aperient. ℥ ii. vel alterius fimilis; de quo capiat ad libitum. Quos validæ, plurefque obftructiones male habent multum juvabit aqua illa compofita Morton, in minore tamen febrili calore data: ℞. Aq. petrofellin. fænicul. ãa. ℥ iv. aq. lumbric. magiftr. fyrup. de quinq. rad. aper. ãa. ℥ ii. falis fuccin. nitidiffimi, & ab oleo optime depurat. ʒ fs. fiat julapium ad potum ordinarium, quod ori minime infuave effe, Auctor afferit, ac mirabile ad obftructiones abdominis tollendas, etiam cum fluxu cæliaco.

Hic tamen adnotandum, pauca in fymptomaticis, &, quoad fieri poteft, fingularia alterantia remedia effe debere; nam quo plura mala, eo magis nocet remediorum copia, & varietas, quæ magis, ac magis ventriculum affligant, naufeam pariunt, digeftionemque perturbant. Si plures adfint indicationes adimplendæ, aliquod felige, quod plures requifitas virtutes poffideat; id enim melius, quam varia remedia præfcribere. Itaque quotiefcunque alterans aliquod fatis prodeffe comperies, illi prudenter, moderateque infiftendum.

 Quam-

Quamobrem ad ſymptomaticas chronicas Febres, tam hyppocondriacas, quam hæcticas præſtantiſſimum etiam alterans, cui, cœteris non ſatis proficientibus, ſoli, diuque inhærendum, ſunt Aquæ minerales acidulæ, chalibeatæ. Hæ utrique febrium harum ſpeciei æque conveniunt, quia, præter diverſam naturam componentium, etiam alibi notatam, pluresque inde facultates, organorum in glandulis extricandorum, expediendorum, vivificandorumque maximæ neceſſitati ſatisfaciunt. Hujuſmodi Aquæ Recobarii dotes, effectuſque alterantes propoſitos hiſce verbis deſcribit eximius Gratianus: *Levior cœteris omnibus Aquis, Ejuſdem odor ſulphureus, & ferruginoſus... Ob dilutum, & volatilitatem ſummam, quam habet, apte ſe ab ſecundis ſuccorum qualitatibus tuetur.... Prodeſt bilioſæ, & melancolicæ cacochymiæ, ubi acidum fixum moleſtum eſt... Pro morboſis capitis affectibus curandis non pauci ſunt, qui hujus fontis uſum, mirum in modum extollant, hinc epilepticis.... puralyticis* (utriuſque autem remiſsiorem ſpeciem patiuntur hyppocondriaca, hyſtericave febre laborantes) *& capitis dolore vexatis prodeſſe creditur, quoties tamen memorata mala, a viſcerum depravato munere* (quemadmodum in caſu noſtro) *orta ſint, atque a pravis ſuccis inde jugiter emanantibus....Ubi Febres quædam Hæcticæ, & Atrophia ab obſtructionibus pendeant, facile ejuſdem Aquæ uſu his ægritudinibus vexatos ſanari poſſe, experientia demonſtrat; præſertim vero ſi Atrophiæ calamitas ab obſtructis venis lacteis, glanduliſque meſenterii exoriantur. Prodeſt obſtructionibus reliquorum viſcerum, etſi ab iis ſchyrroſi tumores aſſurgere cœperint*. Ex iis, quæ Philoſophus iſte tradit, colligimus, has Aquas continere plurimas volatiles partes, quæ ſeſe in anguſtiſſima inſinuant; quæque cum ſuam (ſicuti mineralia omnia) retineant naturam, reſerant, aperiuntque, incidendo, ac detergendo in tranſeundo, meatus cruditate infarctos, qua viam faciunt aliis ſuis partibus majuſcu-

juſcu-

juſculis vitriolicis, & reliquis; vitriolum nanque eſt quoque ſtrenuum attenuans, & mundans. Præterea magnopere elaſticas eſſe eaſdem Aquas, atque expanſivas, docet laudatus Auctor, & experientia, quum vaſa, ſi hæc iis repleantur, omninoque plena claudantur, frangant; quare penetratas glandularum arteriolas tam ſanguiducas, quam lynphaticas expandent, quo hetherogeneum a ſeipſis antea ſumptis paulatim, aliquatenuſque præparatum, eruditum nempe, ac divulſum, vel per ſecretoria in excretorios ductus, vel in venulas impellatur; nec tamen arteriolæ nimis diſtenduntur, nam alumen, ferrum, & vitriolum, eaſdem corroborando, vellicandoque, ad contractionem ſollicitant; cumque perpetuæ ſint hæ actiones, dum Aquæ iſtæ cum ſanguine circumeunt, motus vaſorum ſanguiferorum tam majorum, quam minimorum alternus, ſyſtalticus revocatur, exercetur, ac viget, unde & ſanguineæ maſſæ attritio, circuitio celerior, generaliorque, nimirum etiam in minimis vaſculis, & ſecretionum reſtitutio, atque abundantia, & glandularum, ſicuti & Gratianus tradit, libertas, & priſtina vis.

Aquarum porro iſtarum omnes, & quaſcunque facultates multo magis experiuntur illi, qui eaſdem ad fontem bibunt, quam qui longe diſciti delatas hauriunt. Aſſervatæ enim multum volatilium, ſpirituoſarum partium amittunt, ſiquidem menſura palam evidenterque in vaſis, rite licet clauſis decreſcit. Deinde ut Aquæ eædem tuto in ſymptomaticis hiſce Febribus in alteratione operentur, primum tenui quantitate ſumendæ, ad duos cyathos in die; mane tribus, aut quatuor horis ante prandium, & duabus circiter ante cœnam; & quum ipſæ gradatim ex dictis agant, ſenſim, ac per uncias, earum doſis augenda; & ſiquod incommodum afferant, intermittendæ, rurſumque modice ſumendæ.

Externa obſtructorum viſcerum auxilia localia multa

ab

ab Scriptoribus proponuntur, potiſſima ſunt emplaſtrum uſitatiſſimum de cicuta; & emplaſtrum de artanita majus, & minus, æquis partibus; horum alterutrius, præmiſſis fomentis ex decoctis vulgaribus malvæ, altheæ, fænugræci, florum meliloti, ad preparandum, fiat inunctio ad regionem affectam. Utrunque mirabile diſcutiens; ſecundum vero alvum etiam commode ſolet deponere.

Sua pariter diverſoria habent & chronicæ aptiſſima ad mutandos vitioſos Naturæ decubitus in ſalubrem declinationem. Hæcque illis ſunt neceſſaria, quæ futuræ eſſe ſymptomaticæ conijciuntur, aut tales jam ſunt, in quibus a viſceribus divertendum, & alio avocandum, ac derivandum. Talia ſunt ſetacea, cauteria, fonticulo excitato; tum balnea tepida aquæ dulcis.

Prima conveniunt magis Hyppocondriacis Febribus, poſteaquam ſatis evacuatum ſit internis remediis, neque tamen morbus conquieſcat. Hæc enim aſſidue expurgando viſcidum chylum, quotidie crudeſcentem, indeque exuberantem, neque de viribus quidquam imminuendo, maſſam ſanguineam, quin ægros debilitent, jugiter mundant ab multo inquinamenti, & decubitus arcent ab viſceribus abdominis, & a cerebro, & præcavent hetherogenei diffuſionem in nervos; quare perenni affluxu in partes principes, vitæ, viribus, digeſtionibuſque inſervientes vitato, tum cauſa ablata pleraque & morbi generalis, & congeſtionis, aut congeſtionis majoris in eaſdem, vitia fluidi, & ſolidi tam univerſalia, quam particularia, in dies minora, & obſtructiones minus reſiſtunt Artis auxiliis, & motui Naturæ vividiori ſenſim cedunt, ſaluſque paulatim recuperatur de morbo cœteroquin difficillimo.

Altera ſæpe opportuna, nonnunquam & neceſſaria ſunt Hæctica Febre extenuatis, exſiccatiſque corporibus, ideoque nutritionem recipere nequeuntibus fibris; remiſſa quidem, ſed

adhuc

adhuc tenuiter perdurante febricula, quæ ex eo ſcilicet perſeverat, quod nondum bene, ob dictam fibrarum reſtrictionem, & ſiccitatem, e ſanguine in eaſdem demitti, neque diſtribui incipit ſuccus nutritius; nec mutari propter nimiam inde ad vaſa, & ad vires plenitudinem ſanguis; chyluſque in ſanguine eodem per conſequens ſecundum magnam partem morboſe remanet, & crudeſcit. In hac porro febris ſpecie neque capitis dolor, niſi initio, adeſt, neque præcordia dura eſſe ſolent, neque intumeſcere, quanquam obſtructionis adhuc aliquid fortaſſe reſideat, neque medium corpus dolor infeſtat, quæ in ſpecie ſuperiore frequenter occurrunt, quæque a Cornelio Celſo tanquam impedimenta balneorum contraindicantia ſapienter ſtatuuntur. Balnea univerſalia emollientia, & humectantia tepida, cutem, atque habitum corporis, ipſiuſque ſanguinis globulos, ac moleculas molliores, rarioreſque faciendo, prima alimento admittendo, altera ſuis ſecretionibus, & renovationi apta reddunt: quo fit, ut in dies refici ab illis incipiant, integumenta videlicet, & caro, antea exſucca, impleri, atque hæctica laſſitudo minui, dum ad ſua loca defertur, ac diſponitur nutrimentum, atque ita levantur ſanguifera vaſa, & ſanguis a ſuperfluo liberatur; in ſuccumque nutritium denuo, impoſterumque ſanguinis pars debita faceſſit, & chylus idcirco in ſanguinem ſeſe in dies magis convertit; unde is non amplius inutilis in eodem ſanguine crudeſcens haud amplius vaſa, ac viſcera gravat. Hæc quodammodo intellexiſſe videtur Celſus, ubi Medic. lib. 2. cap. 17. agit de balneis, licet ad ſudorem comparatis. *At balnei duplex uſus eſt*, inquit, *nam modo, diſcuſſis febribus, initium cibi plenioris, vinique firmioris valetudini facit. Modo febrem ipſam tollit, fereque adhibetur, ubi ſummam cutem relaxari, evocarique corruptum humorem, & habitum corporis mutari expedit.* Ut autem iſtiuſmodi commoda melius ferant balnea, poſt quar-

tam

tam circiter horam a prandiolo, maxime digestibili, sele-ctoque, instituі debent; nam tunc vires minus infirmæ, tunc tempus distributionis; a balneo vero somnus placidissimus procurandus, quo corpus etiam ad transpirationem dispo-natur.

CAPUT DUODECIMUM.

De Diæta, Regimine, & Præservatione.

OMnia, quæ potest, Medicus ad ægrotantis sublevationem concinnet, informet, atque componat, quemadmodum Hippocr. primi Aphor. parte altera instruere videtur, ac præsertim cibum, & potum. Tunc enim optime tractabitur æger, quando ea, quæ in succum, sanguinemque illius transeunt, non augent resistentiam, sed vires; ita ut hæ perseverantes illam, in dies magis aliis auxiliis imminutam tandem vincant; quod eo melius præstabunt, si quædam ex alimentis quoquo modo remediis in officio insuper famulentur; & quando cœtera ita aptentur, ut neque ipsa lædant, sed aut fluido, aut solido, aut utrique, prout par est, favere possint. Diæta itaque, ac regimen ab remediorum intentione minime dissentire debent, immo potius eorum vicem quodammodo gerere.

Quod igitur ad alimenta, in omnibus hujusmodi Febribus probantur juscula, tenuissima in acutis, tenuja in reliquis, nunquam insulsa, multo minus in insidiosis, ex vervecis, aut pulli macris partibus, in aqua fontis cum pane, quasi in pulverem redacto, subtiliterve conciso, optime, & liquide cocta; matura subacidi succi sub cineres cocta poma, cerasa sapidissima nigra, fragæ parvo numero permittuntur; in symptomatica diarrhæa etiam pyra cocta. Hæcque bis in die tantum, nisi necessitas, ob aliquam enor-

mem,

mem, aut abundantem evacuationem, jus, aliudve crebrius exhibendum ſuadeat.

Mos ruſticorum panem ruditer ſectum ad aquæ conſumationem ebulliendi, & ſpiſſum edullium oleo, aut butyro, etiam crudo, condiendi damnandus, quia nimis denſum, ſolidumque conſtituit alimentum, quod ſanos quidem reficit, multum vero gravat infirmos. Oryza quoque, quibus fercula ægrotantibus male confici ſolent, ſunt ablegana, quia etiam in ſanis multis gelatinoſum, craſſumque chylum gignunt, ſuccoſque gaſtricos rudiore ſui parte, ceu glutine irretiunt, & ſtipticum ventrem, inertemque faciunt. Hordeum multo melius hiſce ſubſtituitur, præſertim in non graviſſimo morbo, ac poſt evacuationes univerſales; idque bene coctum, jure dilutum ſumendum. Vel ſucco inde expreſſo uti quibuſdam commodum erit, quemadmodum in calidiſſimis harum Febrium acutarum. Ova ſorbilia, quantumvis recentia, mala ſunt in his Febribus; hic autem ſubjungo, ova, non ſolum numero plura, & conſueto copioſius data, ſed vel unica in die damnoſa eſſe, præſertim ante declinationem; idque perſæpe obſervavi; veruntamen ne quidam pravo, ſicuti dici ſolet, naſo id audiant ovis nimium faventes, rationes adducam; ſiquidem ova in primis regionibus minus digeruntur, quod vel ex cita ab illis ſumptis ſatietate facile evincitur; præterea vitelli ovorum, quia anodini, & obtundentis cujuſdam ad inſtar ſunt, alvum ſupprimunt, quum contra ſit magni momenti eam ſervare liberam. Deinde ova utpote multum continentia alimentum, ſanguineam maſſam nimis celeriter imbuunt, veluti patet ex obtuſo ſomno, & gravitate capitis, quæ etiam ſani quidam ab illorum uſu pomeridianis horis experiuntur; talis autem debito citior, pleniorque nutritio deterior eſt in cruditate: *impura corpora quanto plus nutries, tanto magis lædes*. Denique cum gummoſa, lenta, oleoſa materia

ria

ria constent, crudam visciditatem augent in sanguine, docente Celso: *ova sorbilia pituitam faciunt crassiorem*. Ex his vero, præcipue duobus postremis (a quibus immediate retardatur circuitio sanguinis quasi repente gravati non mole quidem, sed nimis nutriente substantia, & lentioris ab eorum glutine facti) orgasmi in massa communi, & phlogosis inde universalis intenditur. Hæc paucis comprehendit Hipp. de diæta lib. 2. *Ova volucrum robustum quid habent, & alunt, & inflant.*

Potus optima materia sit aqua boni, & probati fontis, vel fluminis saxosi, simplicisque, non ex diversis vivulis compositi, eoque minus palustris, aut limosi, aut stagnantis (ex talibus quippe aquis etiam sanis panis, ac cœtera male conficiuntur) decocta cum hordeo integro, quod & lenissime alvum lubricare consuevit, & detersivum est, atque aperitivum blandum, & nonnihil cortice suo vasa juvat exsiccando; addi possunt ad ebulliendum poma matura concisa, vel ceresa sicca, vel pruna, vel similia; hæc suaviorem potum, temperatiorem, ac penetrantiorem reddunt; non paucis vero quibus displicet aqua hordei, hoc prætermisso, eorum fieri potest jucundius decoctum. Perutilis quoque est aqua ebullita cum herba saponaria, quæ nitrosa est, refrigerans, & suaviter abstergens. Talia conveniunt juvenibus, fortibus, calidioribus, in quibuscunque ex his Febribus, sed præsertim in æqualibus. Senibus, phlegmaticisque commoda aqua cum malis persicis siccis decocta, aniso correcta, addito saccharo, aut melle. Illis porro, quibus metuuntur, vel jam adsunt chronicæ symptomaticæ, utendum est potu aquæ stillatitiæ cichorii, aut graminis, sive alius hujusmodi, aliquando etiam oximelle simplici dulcoratæ. Hisce deficientibus, cichorii folia, addendo vel coriandrum, vel ficus siccos, vel crustam panis tostam, bonum erit decoquere.

Vinum in febribus non negaſſe videtur Hipp. de vict. rat. in morb. acut. at ſubdit ibidem intra num. 30. & 31. *ubi tamen in morbis ſuſpicatus fueris aut capitis gravitatem vehementem, aut mentis perculſionem, penitus à vino abſtinendum eſt*. Et alio loco, nempe paulo ſupra num. 27. itidem de vict. rat. in acut. habet: *qui igitur aqua mulſa utitur, abſque ſorbitionibus, pro alio potu in his morbis, hic multum ſucceſſum percipiet, & in non multis ſucceſſu deſtituetur*. De ſymptomatis a vini abuſu allatis jam diſſerui, tam in acutis, quam in chronicis, & dixi, a vino ſanguinem impleri, & primum rarefieri; unde crudæ plenitudini rurſus duplex plenitudo accedit, & cruditatis augmentum, ac quæ in ſanguine inſunt vitioſa hetherogenea inteſtino motu cum maſſa communi magis confunduntur, ſicque eorum ſecretio magis, magiſque prohibetur, atque excrementa eadem etiam rudia, & craſſa in anguſtos arteriarum ramulos infiguntur, cumque hyeme ad centrum cogatur, atque ad viſcera ſanguinis momentum, naſcuntur viſcerum fixæ inflammationes. Aliis vero tempeſtatibus vinum in febre ſumptum magis univerſalem parit orgaſmum, & circuitionem ſanguinis ſummopere retardando, & motum inteſtinum perturbatum excitando, vaſis etiam irritatis, ſanguineam maſſam ad putredinem, febreſque etiam inſidioſas ad malignitatem diſponit. A vino poſtea ſanguinem denſari, addidi; eas igitur febres, quas cito acutiſſimas, aut peſſimas, malignaſque non facit, id valde periculoſas reddit, ſaltemque obſtinatiſſimas, expreſſis, ac tempore conſumptis agilioribus partibus, ſanguinem vix euntem incraſſando, morbumque ſupra Naturam confirmando, ſeu ad chronicum difficillimum protrahendo. Attamen circumferuntur hyſtoriæ quorundam, maxime ruſticorum, qui fortiſſimis, atque etiam malignis febribus laborantes vino ab illis ſeſe expediverunt. Verum non ne frequentius enarrantur fatales caſus

eorum, qui vino morbum tentantes citiſſime defecerunt! Id enim par diſcrimen, ac ſiquis obſtructum debilem tubum multo pulvere pyrio incluſo, atque accenſo liberare contendat, nam vinum, ſi ſanguineæ maſſæ orgaſmos, quos certo certius primum intendit, formidabili expanſione non ſolvat, quod & admodum difficile, & perquam dubium, & omnino periculoſum, ſtrangulat circuitionem ſanguinis in Febribus, præcipue malignis. Ex altera vero parte, quoniam vinum recreat guſtum, & digeſtionem, ſpiritus reficit, ſolidumque reſtaurat, alexipharmacumque etiam ab Authoribus Practicis habetur in malignis, ac præſervativum; idcirco necui parti deeſſe videar, diſtinctio ponenda, ut ſine errore, & periculo, de illo decernere poſſimus. Antequam ergo vinum in his febribus propinemus (admiſſa neceſſitate vini aliquando in obſtinato, ac periculoſo quarundam febrium frigore exhibendi oppreſſis, debilibuſque, juxta illud Hippocr. *Anxietudo, oſcitatio, horror; vinum æquale æquali potum ſolvit ægritudinem*, & Santorinus lib. de feb. part. 2. hoc in caſu vinum calidum paulatim hauſtum bene commendat; etenim vinum calefacit, vivificat, & coactum, compreſſumque ſanguinem irrorat, ac ſolvit, & conſtricta vaſa dilatat, ut ſervetur ſanguinis circulatio) tria ſunt advertenda. Primo factæ ſint omnes evacuationes univerſales, & ſecretiones jam apertæ vigeant, alvi potiſſimum, & urinæ; tuncque non amplius aut vehemens capitis gravitas, aut delirium, quæ jure ab Hippocrate metuuntur, deterrent. Secundo pulſus mollis, tenuiſque ſit, nam pulſus duriuſculus, aut ſemiobtuſus a vino fit durior, obtuſiorque ob majorem turgentiam, difficiliorem circuitum, indeque fortiorem, quam antea, in latera vaſorum impulſum; pulſus itidem non ſit tunc temporis debito frequentior, in quo quid convulſivum oſtenditur, vinum autem convulſioni perniciοſiſſimum. Tertio procatarticæ

ticæ causæ ex iis sint, quæ spiritus minuunt, aut saltem ex iis, quæ solido atoniam afferunt; nam si nimia sanguinis abundantia primario febres induxerit, seu temperamentum ad multum sanguinem cito generandum dispositum fuerit, liquet ex dictis, vini usum noxium futurum. Quamobrem, his positis, hominibus phlegmaticis, senioribusque, emergentibus ex acutis pauca quantitate, ac temperatum; sic in malignarum febrium tuta declinatione, collisis tum a protracto morbo, tum a remediis viribus, ea mensura, qua alia cardiaca dantur, similiter tandem & in chronicis haud inepte permittetur.

Hactenus traditus victus non modo in acutis, verum & in chronicis ipsis Febribus, aliqua tamen habita proportione, servandus. Neque ille Aphorismus Hipp. quo *tenuem victum semper periculosum* dicit *in morbis longis*, ullum nobis timorem, dubiumve incutit; siquidem primum victus tenuis, atque exquisitus, Hippocrati consuetus in morbis acutis, erat succus ptysanæ, aqua scilicet, pura cum hordeo probe cocta, & colata, sive expressa, quemadmodum perspicuum est, lib. de vict. rat. in morb. acut. cujusmodi tenuissimum victum hisce temporibus perraro adhibendum judicamus. Præterea tenuis victus non ob aliud periculosus statuitur in Aphorismis, nisi quia *in tenui victu ægri delinquunt*, ideſt errores committunt, & *gravius ferunt errores* eosdem, sed hoc accidens haud est ablatu omnino impossibile. Habet insuper alio loco Hippocrates, nempe in præceptionibus, num. 11. *Contractam victus rationem non diu præscribant*; Id autem ad tollendum ab ægrotis Medicorum fastidium, non ad morbi bene curandi necessitatem, quæ magis urget, imperat Princeps Artis, quod ibidem videre est. Deinde putari potest Hippocrates omnibus istis locis damnasse nimium, superfluum, irrationalem in victu rigorem; neque enim exquisitus ille tenuis victus, qui in acu-

tis

tis est necessarius, exacte tenendus in chronicis; in his quippe & jura, & fercula minus diluta, minusque parca, quam in acutis, & concisus in jure panis minus restrictus concedi possunt, sed carnibus omnino interdicimus, ovisque, donec in vado æger fuerit. Talisque victus inter extremam tenuitatem, & repletionem ægrotantis medius stare videtur, Febribus chronicis, utpote mediocris intensionis, ita opportunus; quem tamen pro symptomatis, evacuationibus &c. minuere licet, sive aptare; sicque tantum cibi indulgemus, *quanto morbus extremis est mollior*. Cœterum idem Hipp. pariter de vict. rat. in morb. acut. circa num. 21. docet in genere, etiam post evacuationes non esse deserendum victum tenuem, eundemque non esse augendum, *prius, quam morbus concoctus, ac maturus factus fuerit*, alioqui expertus *magnam noxam, & mortem* indicit, *nisi omnino facilis fuerit morbus*. Morbi vero omnes tam acuti, quam chronici, quum sanescunt, per maturationem, & concoctionem sanantur: primi citius, tardius secundi, quum Natura mitius in his agat. Chronicas porro febres non prorsus faciles morbos esse, sed perquam difficiles, præsertim symptomaticas, nemo non novit. Neque in chronicis febribus igitur descripto moderate tenui victui, qui satis est ad vires diu conservandas, est adijciendus cibus, qui resistentiam augeat, viresque gravet, maturationemque, & concoctionem morbifici prohibeat, cujusmodi sunt carnes, ova &c. quæ in sanis quoque plurimis ex natura sua, nempe ob fortiorem materiam, tarde digeruntur.

Hippocrates in singulis pene morborum speciebus peculiarem, ac distinctum victum instituit, & quædam præscribit, quæ prorsus absurda non paucis nostrorum temporum, & contemnenda viderentur; quamobrem me quoque dicteria vulgi, remedia quæque obvia temere, atque inconsulto aspernantis, solis arcanis, quæ minus capit, fidentis, mini-

me

me vitaturum, ſcio, ſi quædam naturalia, ſimplicia, paratuque facilia, minus tamen Medicis uſitata in ægrorum diæta ſcriptis commendavero, cum calumnias iſtas in medendo parvi pendens tulerim. Quidquid ſit, quum chylus crudeſcens harum Febrium tam acutarum, quam chronicarum proxima materia extet, quærendus talis chylus, qui pravum emendet, deſtruat, mutet; & ſicuti multa exiſtunt, quæ malum generant chylum, ita multa, quæ huic contrarium, & bonum ſubminiſtrant, adſunt, etiamque in eſculentis dantur quæ concoquunt, digeruntque cœtera, quod in ſua Statica, ſec. de cib. & pot. Aph. 81. & 82. Sanctorius adumbrare, atque autopſia docere videtur. Cumque ex alimentis ipſis alia minus, alia magis per alvum ſecedant, cumque demum alimenta, ſeu alimentorum excrementa e corpore exeuntia ſecum devehant noxios humores, quod Hipp. notat, lib. 4. de morbis, ſub num. 20. tam alterantium, quam purgantium adminicula, ſive ſocia alimenta habebimus. Iſta ergo in omnibus hujuſcemodi Febribus tam acutis, quam chronicis recte uſurpari, perſpicuum eſt; verum illis maxime convenire, in quibus vel vomitus, vel nauſea ad quæcunque remedia, nullas per alia evacuationes admittit, vireſque quocunque modo detritæ dicta purgantia pharmaceutica, ceu ingrata non amplius ferunt. Præterea in quibus ſtyptica, & ſegnior eſt alvus, tum in æqualibus, in quibus nefas validis medicamentis uti, diæta alvum aperiens aliis, ac levioribus potionibus ſubducentibus commode famulabitur.

In hiſce itaque omnibus primum diætam leniter purgantem inſtituere bonum. Iſtiuſmodi edulia conficientur ex betis, albis ſcilicet, vel rubris, in jure coctis, additis paſſulis mundatis ad gratiam ſaporis, atque efficaciam majorem; & ſi magis ducendum ſit, earundem betarum adjecto ſucco. Betæ parce nutriunt, ſunt nitroſæ, ſanguinemque

que temperant blande aperientes, ſpiſſum ſuaviter, molliterque diſgregant, refrigerant calorem febrilem, alvum humectant, nec ſupprimi, ſinunt, quod poſt quædam alia purgantia evenire conſuevit; emolliunt concretiones, atque ad fluendum diſponunt, multoque melius, ac tutius id ſenſim agunt, nonnullis in caſibus, quam reſſolventia fortiora. Poſt has ſtant urticæ, eaſdem ferme habentes, ſed remiſſiores purgandi vires, hæ autem ſolidum inſuper aliquatenus firmant. Inter hæc recenſeri poſſunt raparum juſcula, cucurbitarum &c. quæ nitroſo blandiſſimo lubricante, & diſſolvente donatæ ſunt, ſeceſſumque ſervant, lotiumque cient. Fercula quoque ex conchis parvis, rotundis dictis, in febrium præſertim chronicarum declinationibus, poſſunt parari, quæ leviter alunt, & ſalſo ſuo inquinamenta etiam ab glandulis diſcutiunt, & alvum placide movent, inquiente Samonico, ubi de ventre molliendo, ad quod multæ molis, atque impenſarum remedia reprobat:

Mugilis, & viles pellent obſtantia conchæ.

Alia autem alios magis purgant. Mellis ipſius comeſtio utiliſſima eſt in convaleſcentibus, morbi reliquuis emundandis, illis nimirum, quibus id ſuave eſt. Hoc cum quoddam ſaponaceum ſit, ſi crudum ſumatur, alvum aperit, primarum viarum viſcera, pulmonemque fœdatum optime detergit, maſſam ſanguineam refovet, erigit, mutat; idem liquefactioni aptum, indeque *ſecundum omnes partes fluxile*, bene nutrit fluidum, & ſolidum, ſecuriuſque recreat, ac reficit. Idque aut pro alimento cum pane, aut pro condimento, quocunque modo, attamen moderate, uſui eſt idoneum.

Panis quoque in his Febribus melior *cibarius*, quam *ſiligineus*; ille enim ex Hippocrate, lib. 2. de diæta, & Celſo Med. lib. 2. cap. 18. alvum ſubducit, & minus implet. Panis contra ex ſiligine alvum adſtringit, quod ex ejuſ-

ejuſdem Celſi Medicina, lib. 2. cap. 30. & maxime nutrit; quod lib. 2. cap. 18. ſignificatur.

Quod dixi de alvum lubricantibus, idem de humores præparantibus tenendum in curandis extenuatis, enectiſque ſupra notatis ægrotantibus. Hæcque poſt evacuationes univerſales, alterne cum modo laudatis moventibus, & per vices, quemadmodum de alterantibus aliis remediis ſuo loco tradidimus, ſumi poſſunt, ideſt modo excrementoſum per ſedem deponentia, modo aperientia, & reſolventia alimenta adhiberi, eademque modo intermitti, modo continuari, prout opportunitas oſtendet. Talia itaque præparantia acutis opportuna ſunt blitha, quæ etiam ſpinachia vocitantur, lupuli, lactuca, cichoria hortenſia blandiſſima, endivia &c. Tam in acutis minus calidis, quam in chronicis, aſparagi, cardui comeſtibiles utiles ſunt. Humidioribus autem, craſſioribuſque temperamentis, in chronicis febribus, dempta magna cruditatis parte, ſelinum bene coctum commendatur, appium, & alia ſimilia.

Anthos, ſalvia, aniſi ſemina pro condimentis cœterarum herbarum, aut edulliorum habentur; ſic raphanacea, allium, cæpe, porri, quæ ruſticorum theriacen appellat Gallenus, tanquam poſtprandia ad finem morbi chronici, obtuſioribus quibuſdam concedi poſſunt, atque imperari; quia digeſtionem tum primam, tum ſecundam juvant.

Hæc ſane virtutibus imitantur cœtera alterantia, ac digerentia alibi propoſita, verum familiaria, atque eſculenta modo recenſita id habent particulare, quod alimentorum more ſumpta bene nutriunt, & rectius operantur; ſiquidem hæc eadem cum juſculis, aut aliis parce nutrientibus, nihil fere generant cruditatis; quia ſales poſſident, quibus & in primis regionibus defectum ſuccorum ſupplent, atque adeo horum vitia paulatim corrigunt, inſuperque motum periſtalticum ventriculi, & inteſtinorum (quas par-

tes etiam vivificant, ac ſenſim tono reſarciunt) ſollicitant, quo fortius agant in tunc temporis contenta; quapropter hæc ſimul cum ſuo nutriente vehiculo bene concoquuntur in ventre; & in ſanguinem translatæ, in *ſecundam*, quam dicunt, *officinam* eædem nitroſæ, ſive aromaticæ, ſive amaræ particulæ cor, & vaſa roborant, pariterque ad vividiorem contractionem ſtimulant; ſicque ipſa vaſa in talem chylum firmius, & frequentius reagendo, illum optime digerunt. Idcirco & prima, & ſecunda concoctio perficitur, ſecretiones reparantur, ſpirituſque minus culpabiles exoriuntur; cruditas vero in ſanguine præexiſtens, non aucta a novo alimento, ſed nuda, a particulis ſapidis, blando-ſalinis herbarum ſenſim penetretur, incidatur, dividatur, alteretur, atque viribus gradatim reſurgentibus dometur, atque regatur, oportet. Idque multo melius, tutiuſque peragitur ab hiſce more alimentorum adhibitis, quam a fortioribus mane propinatis, alio poſtea cibo (qui præſertim in ſymptomaticis febribus quotidie crudeſcit, & cauſam fovet, augetque febrium) aliis horis ægrum reficiendo; etenim hoc modo id reedificatur in maſſa communi, quod comminutum fuit ab attenuantibus; immo & coufuſio inde naſcitur non raro periculoſa, attenuata a ſubſequente alterante nimia cruditate; utrunque ſæpe remediorum diu uſurpatorum inutilitas, cum longævitate morbi, aliquando & ejuſdem recrudeſcentia, pleriſque irrationalis, atque inexpectata, alias memorata, ſatis oſtendunt, atque hanc methodum neceſſariam indicant.

Quod autem ad locales ſolidi morbos, nimirum obſtructiones glandularum abdominis, & pulmonum tumores, in chronicis ſymptomaticis, pars cruditatis in iiſdem glandulis, meatibus, vaſorum ſectionibus, parenchymate &c. concreta, & compacta deobſtruentibus, purgantibuſque remediis vix unquam obediet, ſi alio interim victu utaris, propter

pter ſupradictam rationem, quia ſcilicet cruditas ab alio victu quotidie renovata remediorum turbat effectum, jugiter reintegrato per univerſalia ipſa notata detrimenta eodem peculiari partis morbo, nonnunquam & creſcente, quia vires a remediis diſtrahuntur, atque franguntur, & cruditas, ejuſque decubitus ſuperant. Præſtat itaque ultra evacuationes generales neceſſarias, quæ cruditatem pleranque, cum ſanguine circumeuntem eduxerunt, remorantem, & fixam ſenſim, aſſidueque erudire, ac liquefacere alimentis quotidianis, blande ſolventibus, & lubricantibus paulatim eliminare, quam ægrotantes frequentius debilitare, atque in diſcrimen inijcere.

Satis hactenus de herbida diæta, quæ omnibus fere temperamentis, & quibuſcunque ex his Febribus, & cuicunque morbi tempori, ac ſtatui, proportione, ſelectuque habitis, eſt opportuna, ac minus inviſa ægrotantibus, & abſque ullo timore, ac periculo ab prudente Medico inſtitui poteſt.

Alibi inſipidum victum condemnavi, hic ſalium herbarum mentio facta eſt, quapropter ſubnectere eſt animus utilitatem notam ſalis communis, quo alimenta ſanis quoque condiuntur, atque ægris omnibus, pro ratione, condiri debent. Is tum in acutis, præſertim minus calidis, tum in chronicis probe adhibitus attenuans remedium utile eſt, ac neceſſarium; ait enim Plutarc. in ſympoſ. *tenuatur ſanguis ſalem lingentium, neque coeunt quæ intus ſunt*. Tam maſſæ igitur temperandæ, quam glandulis expediendis apprime in victu conducit.

Quoniam lactea diæta in chronicis pluribus uſitatiſſima eſt, tum apud Antiquos, tum apud Recentiores Medicos, ideo de eadem in Febribus noſtris quæſtionem ponere operæ pretium duco, & inquirere, num hiſce chronicis utilis eſſe poſſit. Neque alia ratione id melius me præſtiturum,

credo, quam lactis proprietates ex ejusdem quacunque parte componente emanantes cum toties repetitis morbi fundamentis conferendo; tum ordinarios ejusdem effectus considerando, ut inde & a priore, & a posteriore, quid sentiendum sit, quid tuto judicandum, conijciamus; perfunctorie enim ambigenti, ob ejus simplicitatem, facilem in infantibus vel tenerrimis digestionem, vim refrigerandi, diluendi, reficiendi, & commode alendi, fortasse hisce eisdem Febribus curandis optime convenire videbitur.

Lactis itaque partes aliæ sunt butyrosæ, ramosæ, ac oleosæ, quæ emolliunt, laxantque etiam quod aridum est, veluti coria &c. hinc morbis a nimia solidi duritie, tensione, & rigiditate medentur; præterea sicuti oleosa omnia, fibras remittendo, easdem minus sensibiles, minusque agentes faciunt; hinc quosdam dolores leniunt; solidum itaque tam ventriculi, & intestinorum, quam vasorum sanguiferorum hæ magis laxabunt, ac infirmabunt, & utrorumque motum, omnemque functionem reddent languidiorem. Caseosæ aliæ, quia facile in coagulum abeunt, quippe quæ sunt glutinosæ, tenaces reciprocæ adhæsionis, solidamque massam, in dies magis obdurescentem constituentes; hæ primo obstruunt, atque alvum pigram efficiunt, quæ admodum frequens est harum Febrium occasio; deinde chylosam cruditatem crassam, viscidam, & glutinosam augent, & viscera lentore occupant, chronicasque disponere valent ab symptomaticas. Aliæ tandem serosæ alibiles, quæ aliquantum nitrosæ sunt, pingues simul, & aquosæ, tempore coagulabiles; hæ quidem diluunt, & ad exeundum e corpore proclives sunt, hæque acredinem, irritationemque humorum temperant, sed nimia lenitate jam insulsam, segnemque crasim sanguinis afficiunt, ac magis hebetant; si vero serum lactis in primis viis corrumpatur, adeo stimulat intestina, debilitat, lubricatque, ut diarrhæam inducat

tor-

torminoſam, ac ſæpe ſuſpectam. Simul unitæ, atque a Natura concinnatæ iſtæ partes mitem, ſpiſſumque humorem efformant, qui ſanos multos delectat, cito, abundeque nutrit, nec male digeritur in quibuſdam, maxime ſi ſolus aſſumatur, abſque carnibus &c. ſatietatem tamen parit, & hyppocondria inflat, inertiam totius, & laſſitudines multoties inducit, oris inſuavitatem, & viſcoſitatem; quando autem in morbum a nimia plenitudine offendit, eundem auget, debito citius, crudeque replendo ſanguineam maſſam impuram, jamque antea oneroſam; quamobrem haud tutum Febrium harum, neque chronicarum, remedium erit, quæ ſemper generantur ab maſſæ communis quantitate, & pondere viribus vaſorum majore, ſeu cum vaſorum debilitate conjunctis. Ubi vero chronicæ ſymptomaticæ ſunt, glandulæque abdominis parum, maleque ſecernunt cruditate depoſita obductæ, eaſdem lac magis gravat, & obſtruit; ſiquidem in ipſis ſanis nutricum mammis ob ſolam remoram aliquando concreſcit, eo autem magis cruditate ſanguinis inquinatum, decumbens in viſceribus morboſis. Lactea igitur diæta minime commendatur in hiſce Febribus, neque chronicis. Experimenta hujus bina vidi, unum ab alio factum, a me alterum in diverſo temperamento, utrunque in morbo jam antiquo, & cui marcor acceſſerat, neque valde urgente febre, & utrunque male ceſſit, ita ut relinquenda fuerit iſtiuſmodi diæta.

Quamquam vero lac in genere in hiſce Febribus fere periculoſum ſit, ars tamen illud in bonum vertere valet, primo temperamenta, ac tempora, quibus lac conveniat, diſtinguendo, ſecundo lac ſeligendo, tertio tandem ab lacte auferendo quod noxium, addendo ipſi id quod commodum, utile, ac neceſſarium ægrotantibus. Quibus hominibus lac proſit, nulla alia re magis aſſequemur, quam ſciſcitando ab iiſdem, num lac ipſis ſanis ſemper bene verterit,

in-

inquit enim Hipp. seu alius Auctor, lib. de alim. *lac nutrimentum, quibus videlicet secundum naturam alimentum est, aliis vero non*; crassis autem, humidisque, semicacheticis, aut œdemate, aut alio simili tumore laborantibus absonum est, tum ex Hipp. *caput dolentibus*, tum *febricitantibus* (hoc est forti sive continua, sive accessionali, sive periodica febre afflictis) *& quibus hyppocondria murmurant, & siticulosis, & in bilioso alvi fluxu, & quibus sanguinis multi egestio facta est* (quæ ventris male habitis visceribus magis evenire consueverunt) *convenit tabescentibus* (siccioribus nempe hæcticis, & quibusdam phtysicis) *non multum febricitantibus, & in febribus longis debilibus, nullo ex prædictis signis præsente, sed præter rationem consumptis*. Non bonus igitur lactis usus, nisi dempta plenitudine, & crassa omni cacochymia, cujus signa exilis febris, sine ulla accessionali superinductione, ac sine siti, cum capitis, ventrisque libera quiete; talibus lac exhiberi potest, si alio alimento ægrorum carnes nihil proficere videantur. Utilissimum porro lactis adhibendi tempus est ver, quo tum lac, tum homo magis viget. Quoad selectum, illud lac eligendum, quod ad secretiones magis dispositum est; *ovillum* ex Hipp. lib. 2. de diæta, *alvum sistit, caprinum vero magis per alvum secedit: bubulum vero minus: equinum autem, & asininum magis secedunt*. Ab asinino itaque incipere melius erit, quoties magis purgandum videbitur, de quo satis cap. de purg. Lactis denique alimenti correctio haud est omittenda. Addita aqua communis, simulque ebullita, & salis idonea ad saporem quantitas, ablato in ebullitione cremore, lac magis solvunt, & fluxile reddunt, neque tam facile coagulabile, ad quod maxime facit succus menthæ, vel mentha ipsa combullita, quam præterea ventriculum, viscera, & vasa roborare, & chylum spirituosiorem reddere, & viscera reserare, ex traditis satis constat. Compertum est ob-

ser-

ſervatione Ballonii epidem. & ephemerid. lib. 2. lac eos correctum juvare poſſe, quos ſincerum lædebat. Modus tandem ejuſdem offerrendi eſt lac cum pane coctum dare in prandio, & cœna, abſque alio cibo.

Antequam de Diæta differere ſuperſedeam, de hoc monendi Tyrones, quod quamvis congrua uſurpentur alimenta, ſi illa horis indecentibus exhibeantur, fere in mala vertuntur, quia & aliqua tunc nocent remedia. Idque minime negligendum docet, poſt Hippocratis Aphoriſmum: *In acceſſionibus, nihil dare opportet, neque cogere &c.* aurea Celſi doctrina de curatione Semitertianæ Antiquorum, quæ noſtri generis Febrium ſpecies ſæpius eſt germana, ac genuina; *Habet enim*, ait, *frequentes acceſſiones, deceſſioneſque .... & magnopere neceſſarium eſt neque dari cibum, niſi in ea remiſſione, quæ vera eſt, & ubi ea venit, protinus dari. Plurimique ſub alterutro curantis errore ſubito moriuntur.* Quare in omnibus Febribus cibus, qui bis in die fere exhibetur, in eas horas diſponendus, ut extra acceſsionem offeratur, aut ſaltem, ſi ea longa nimium ſit, extra augmentum, & ſummam exacerbationem. Vera autem remiſsio eſt, etiam in inſidioſis, quando minus urgent ſymptomata, & oppreſsio.

Potus quoque qualis eſſe debeat, jam propoſuimus; quoniam vero multæ harum Febrium initio, & aliquando in progreſſu quibuſdam horis frigus, & horrorem habent intermedium, optimus mos eſt, *ubi expectatur frigus in febribus, ab omni potione ægrum abſtinendi*, ex eodem Celſo, *nam multum malo adijcit*, eo magis in frigore.

Sola tamen Diæta concoctionem tum alimentorum, tum morboſæ materiei, etſi ad id alimenta ſeligantur, & aptentur, non abſolvit, immo neque remedia ipſa id bene perficiunt, niſi adhuc cœtera famulentur.

Regimen calidius alibi repulimus objectionem quorundam

dam minime fugientes, digeſtionem tam primam, quam ſecundam calore perfici, obſervantium, non autem refrigerantibus, idque tum in ſtatu ſano, tum in morboſo; nam (miſſo primo) in morboſo, de quo ſermo vertitur, & in quo cruditas, Natura febrim, hoc eſt calorem majorem, & præternaturalem excitat, ad concoquendum; ergo ſi Naturam debemus imitari, nullis apta ſunt frigida in his Febribus, in quibus digeſtiones ſunt promovendæ. Reſpondemus, non ſemper imitandam, ſed plerunque Naturam eſſe regendam, intraque debitos limites continendam; ideo diſtinctionem propoſuimus etiam capite de alterantibus & febrium, & temperamentorum; ſic illis, in quibus calor, ſeu Naturæ actio minus ſufficit concoctioni, addidimus ſtimulos per ſales, in quibus vero calor ſuperabundat, & vitam adigit in diſcrimen, ipſe eſt temperandus, atque coercendus. Etenim haud digeſtionem proprie perficit calor, ſed motus viſcerum, motuſque ſanguinis, quorum uterque cauſa eſt digeſtionum, ſimulque ipſius caloris. Ad digeſtiones præterea concurrere debent opera glandularum, ſucci, ſales ſanguinis. Calor porro nimius digeſtiones potius infirmat, quod ipſe novit Celſus, cujus textum & alibi poſuimus: *Calor concoctionem prohibet*. Siquidem excedens calor ſpiritus diſſipat, quum ex Hipp. 5. Aph. 16. *nervorum incontinentiam, mentis torporem, Animi deliquia* afferat, *ad quæ mors*: ſolidum debilitat; nam *carnium effeminationem* accerſit: maſſam communem rarefaciendo, molem ipſi majorem inducit, & vaſis continentibus amplificationem, ac diſtenſionem, quia & *ſanguinis profluvia* provocat; indeque languidiorem, difficilioremque motum vaſorum, ac viſcerum reddit, circuitionemque ſanguinis retardat, & ſuccorum ſecretiones vitiat, turbat, imminuit, quare utraque digeſtio langueat, oportet. Hinc calidius regimen malum demonſtravimus, quia has Febres alterat, pejoreſque facit; ergo regimen mo-

dera-

derate, ac proportione frigidiusculum ex adverso alterabit, corrigetque non parum febres easdem, & sane Antiqui Medicinæ Patres, refrigerantia in febribus generaliter indicari, mordicus tuebantur, & quasi peculiariter ad has facit illud Hipp. 5. Aph. 23. ubi in morbis illis, in quibus *frigido utendum* connumerat *quascunque inflammationes*; In omnibus igitur hisce Febribus calidis, atque adeo in malignis, & petechialibus prodest frigidum, & non calidum.

Deinde non modo nimium calorem, sed & nimium frigus diversimode istiusmodi ægrotantibus obesse, diximus; perspicuum est itaque, horum utrunque temperatione indigere, ac moderatione. In his Febribus, sicuti in morbis aliis, maxime necessariæ sunt temperies, concoctio, conferens secretio. Temperies autem in mediocritate consistit, atque perficitur, ab eaque concoctio, & secretiones utiles, criticæque proficiscuntur. Nimium omne, sive calidum, sive frigidum, concoctiones, & secretiones bonas impedit. Harum porro qualitatum sui sunt moderati, diversi gradus, qui huic, aut illi præparationi, dispositionique favent, ac secretioni. Sic in sanis modicum, gratumque matutinum frigus secessum bene movet, quod notat Hipp. ubi de matutinis deambulationibus agit lib. 2. de diæta: *Alvum autem solvunt, quia cum calida sit, frigido spiritu superne allabente, caliditas frigiditati cedit*. Secessum, & lotium ciere solet pedum aliqua refrigeratio; urinam vero distincte mediocris, in frigidiusculo aere, corporis motus; perspirationem exercitium in aere temperato; sudorem idem in calido exercitium. Quapropter alia est dispositio, seu concoctio ad secessum, alia ad urinam, alia ad perspirationem, alia tandem ad sudorem. Immo concoctio ad secessum prorsus diversa est a concoctione, & dispositione ad sudorem, contraria, atque ex diametro opposita; nam ad secretionem secessus, separari debent crassiora ab reliquo sanguine, atque

ad centrum congregari; ad ſecretionem autem ſudoris, miſceri debent omnia, & ferri ſimul ad circumpherentiam, ac per minutos cutis meandros quoquoverſum in tota ſuperficie corporis diſpergi; quæ etiam alias oſtendimus; præterea, altera fiente, impeditur altera; paucis hanc oppoſitionem ſecretionum adumbravit Hipp. notiſſimo illo Aphoriſmo: *Cutis laxitas, alvi denſitas*. Quamobrem ea, quæ maxime conducit in his Febribus, quod ex dictis, & probatis conſtat, quæque tutior eſt (tutior porro quæ magis naturalis, & conſueta, quam quæ rara, ac fere violenta: minuſque debilitat quæ craſſa, quam quæ tenuja excernit) primam intentionem meretur, efficiendumque, ut primæ qualitates ita accomodentur, ut eidem inſerviant. Sic intenſum febrile frigus affligens calore externo moderemur, oportet, frigore calorem itidem febrilem, & inde ſymptomaticum ſudorem, atque alia ſymptomata. Quanta vero ſit neceſſaria correctio per aſſignatam proſpectionem, facilior, vel difficilior tolerantia ægrotantis regulam facilem dabit.

Capitis raſio in gravi capitis dolore, ac delirio, ad temperatum regimen attinet; hujus utilitatem optimi quique Practici norunt. Eadem, & alia cerebri incommoda in iiſdem febribus mitigare ſolet etiam erecta poſitio.

Neque tamen lecti requies ægro interdicenda ſive in acutis, ſive in chronicis, nam diſſipatio ſpirituum ab incongruo labore, atque incommodo quocunque, pernicioſa, quum ſit inter cauſas harum Febrium; eoſque ſolos cenſeo a lectulo dimittendos, qui parce laborantes ab eodem libenter exeunt, ſeſeque regere, ac ſtare valent; cœterum lecti tantummodo permutationem de plumeo, ſeu laneo calidiore in refrigerantem, interdum neceſſarium eſt ſuadere.

Aer præterea in hiſce Febribus vitandus auſtralis, humiduſque, in acutis malignis epidemicis ſaltem corrigendus odoris ſuffumigiis &c. in chronicis fugiendus, idque maxime

ſi in-

si inde exortum malum agnoveris, *pessimum* enim *ægro Cœlum est, quod ægrum fecit*. Quare loca depressa, nebulosa, tetra, sic terrena, aut Soli impervia cubicula mutentur. Aer clausus, non renovatus, opacus malus. Aer optimus montanus, apricus, qui solidum roborat, spiritus erigit, reparatque, & omnes paulatim functiones restaurat; isque adeo digestionibus prodest, ut quosdam rusticos noverim febribus ex chylo chronicis laborantes, qui cum e rure, quasi in convalle posito, in montes per æstatem migrassent, multo melius se habuerunt, indeque, credo, ipsos etiam convaluisse. In specie autem aquilonaris aer magis confert Hyppocondriacis; nam *corpora bene firma, & bene mobilia, coloratiora, & melius audentia facit*, ex Hipp. In Hæcticis vero aer isto aquilonio, qui nimis hosce exsiccat, sit temperatior, & *maritimus saluberrimus*.

Labor viribus major, aut diuturnior semper malus. Quies nimia torpidius solidum, crassius, viscidiusque fluidum, atque inertius reddit impetum faciens. Hæc mediocria, & sese invicem excipientia juvant digestiones, labor videlicet quiete passim intercisus, ac moderatus, quo & digestio, & distributio, & consertio, seu commutatio chyli in sanguinem, & secretiones perficiuntur. Laborem ingestorum alimentorum quasi antagonistam ponit Hipp. lib. 1. de diæta, *contrarias*, inquit, *inter se vires habent cibi, & labores, verum inter se mixti conferunt ad sanitatem. Labores enim ea, quæ insunt, consumere solent, cibi autem, & potus ea, quæ evacuata sunt, explent*, & proportionem ciborum cum laboribus unicuique, prout sua fert Natura, inculcat, ut salutem tueatur. Febris acuta in ægris labori substituitur, ad superfluum crudum concoquendum, nam ipsa profecto labor est cordis, & vasorum oneratorum, qui cum sit vehemens (morbos enim acutos laboriosissimos vocat Hippocr. lib. de affectionib. numer. 11. & ait 1, Aph. 7. *ubi igitur morbus*

peracutus est, statim extremos habet labores &c. & quum tenujorem victum in ipsis acutis febribus, aliquando & tenuissimum adhibeamus, citiusque per remedia consumatur superfluum, alius exercitii additione opus non est. Sed in chronicis minor est materia morbosa, attamen obstinatior, rebellior, antiquior, & minus ideo percellit, opprimitque Naturam, sed eidem diutius inhæret; minus tenuis est in his victus, & evacuationes, quæ rariores esse debent, non semper omne absolvunt, eoque difficilius, quando peculiaria viscera insigniter imbecilla, sive obscessa, & infarcta male per se quotidie, manceque digerunt, causamque restaurant febrium; hisce igitur externum exercitii auxilium est opportunum & ad digestiones, & ad viscerum, glandularumque discussionem, atque in his sane *viscera*, quod Sanctorius ajebat, in Static. sect. de cib. & pot. *gravantur quiete, exercitio liberantur pondere*. Corporis ergo aptus motus ex acutis non nisi convalescentibus; sed chronicis his, maxime autem symptomaticis, adhuc laborantibus convenit.

Exercitium tamen quodcunque neque penitus impuro corpore ab initio capiendum, sed post evacuationes necessarias, & declinante morbo, aut saltem valde remisso; neque unquam statim a pastu, at potius ante pastus ineundum. Denique sit unicuique geniale, atque opportunum, ac præcipue consuetum, a quo minus debilitari solent homines ex Hippocratis trito illo 2. Aph. 49. *Qui consueti solitos labores ferre, etsi fuerint imbecilles, & senes, non consuetis fortibus, atque juvenibus facilius ferunt*; & paulatim suscipiatur.

Corporis exercitatio efficax utilissima, & gymnastica est equitatio, quam in chronicis, rebellibusque morbis expertus ingeniosissimus Sydenham passim celebrat. Hæc etiam hujusmodi Febribus longis, Hyppocondriacis præsertim, Hystericisve, quibus nil pejus otio, debellandis aptissima est.

Tar-

Tarde quiescunt, maxime in effœtis, hujusmodi Febres, quia non bene renovatur sanguis, non perficitur chylus, non satis reficiuntur vires; quare addendo succussionem, & motum artificialem languido motui vasorum, ac viscerum, id ipsa integre absolvent, quod per se præstare nequibant; sic veteres particulæ sanguinis globulares, fibrosæ, serosæ, aucta collisione per equitationem, ex se granulos, seu fibrillas, seu atomos antiquiores emittunt, retinentque propriam figuram, & porulos receptui aptos, sicut gingiva, vacillante ob duriorem crescentem masticationem, & exempto primævo dente, foveam servat, ut in eandem succedat alter; simulque chylus utraque in officina multiplicatis concussionibus digeritur, atque in porulos modo dictos præparatos inseritur: sanguis renovatur; viget solidum, ipso mutato aere in liberiorem, promptius agentem, & recreantem; vitales spiritus eodem reficiuntur.; melius circuit sanguis, secretiones obit, indeque spiritus animales vividiores separantur, atque ad motas equitatione fibras omnes influunt, ex quibus salus, & universi corporis vigor. Isto vero motu præcipue intestina, aliaque abdominis viscera adjuvantur, quod ex laudato Auctore patet in Colica convulsiva, hyppocondriaca, aut hysterica, in diarrhœa colliquativa; nanque, ultra supra notata commoda, e glandulis paulatim impura compacta excutiuntur, expromuntur, eorumque restituitur naturalis, salubrisque secretio; quamobrem ab equitatione etiam in symptomaticis digestio morbosi egregie promovetur, unde œconomia corporis sensim reviviscit. Viris quidem facilior, & convenientior equitatio, fœminis autem vectio in esseda, curru &c.

Somnus, & vigilia, utrumque, si modum excesserit, malum. Nimius somnus nimis implet, hebetioresque etiam sanos facit. Somnus a pastu, videlicet prope illum, damnatur, & profecto a somno meridiano in convalescentibus non-

nun-

nunquam febris reaccenditur, quia ex Morton, in Phtysiolog. *Somnus a pastu tardat ciborum digestionem, unde massam sanguinis effœtam, & chyli inutilis plenam reddit*. In somno paucos secerni spiritus, ostendunt vani, futilesque conatus somniantium, quos graphice de more expressit Virgilius 12. Æneidum.

Ac velut in somnis, oculos ubi languida pressit
Nocte quies, nequidquam avidos extendere cursus
Velle videmur, & in mediis conatibus ægri
Succidimus; non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires, nec vox, nec verba sequuntur.

A paucioribus autem spiritibus male concoquitur chylus in utraque officina, hinc massa morbose repletur, unde crescit pondus, distensio vasorum &c. Excedens vigilia vires a coctione distrahit, & maxime dissipat, quorum argumentum sunt membrorum gravitas, ac tristis sensatio totius in importune vigilantibus.

Inter excreta, & retenta, abusus spuendi, salivamque fundendi, primam digestionem impedit, & rudem deserit chylum; insuperque cum sero salivali multam spirituum materiam exhauriendo, atque idcirco debilitando, utramque vitiat. Ex altera parte Hipp. lib. 4. de morb. docet, cruditatem etiam per os, naresque expurgari; Sic igitur sentiendum: salivale, quod crassum sentitur, maxime ab ægrotantibus expui debet, non ita tenue, nisi ab humidioribus, quibus utile est minui quacunque via humidum superfluum, moderate tamen, atque paulatim. Tum muccus narium sternutatoriis promovendus post debitas alias evacuationes, & concocto morbo, præsertim in Febribus Catarrhalibus, & ubi comata, sopores, aut deliria tenuerunt. Hippocrates nimium coitum damnosum, moderatum utilem demonstrat, lib. prædiction. 2. De nimio inquirere, utrum perniciosus sit ægris hujusmodi, ridiculum plane esset; utrum

igi-

igitur moderatus profit, investigabimus. His in Febribus crescentibus malus est: *Augescentes morbos coitus; frigiditas ea, quæ in ventre sunt indurat.* Hipp. de morb. popul. lib. 6; deinde in Febribus hujusmodi calidioribus, minusque remittentibus semper periculosus est, perniciosusque; etenim in utrisque ab actu, œstroque venereo orgasmus major nascitur in massa communi, unde major Naturæ passio, & nimia cruditatis cum sanguine confusio. Præterea stypticissimis ægrotantium plerunque noxius, quia ventrem facit duriorem. Pallidos, languidiores, *atrabilarios*, etiam ob insitam spirituum paucitatem male digerentes, ad digestiones ineptiores reddit; in talibus enim licet parcus fere nimius est, quia incongruus propter infirmam dispositionem eorundem, siquidem spiritus præcipue in viris dissipat, solidumque, præsertim primarum viarum, hebetat ex Sanctorio in Stat. sec. de ven. Aph. 10. Hyppocondriacis item, convulsionibus, palpitationibus, stuporibus obnoxiis male vertit, ex eodem Auctore, eadem sect. Aph. 10. nam subdit, ex immoderato coitu *facile fieri palpitationes in superciliis, & artubus, & deinde in membris obtinentibus principatum*, quæ detrimenta ab antecedentibus nuper assignatis generantur. Insuper in hisce imperfectis hominibus cruditas jam in sanguine præexistens per coitus excandescentiam ruit in debiliora viscera, illosque ad chronicas symptomaticas difficillimas disponit: *fiunt obstructiones, & inde alvus supprimitur*, addit Sanctor. idem Aph. 12. ejusdem section. Jam vero symptomaticis febribus laborantes magis gravat, præsertim si labes viscera abdominis occupaverit: *coitus ea, quæ in ventre sunt, idurat*, quod ex Hipp. habemus lib. supr. cit. Attamen quum ex opposito videamus interdum nonnullos homines ex succi plenis, bono colore præditis, juvenibusque, cœlibem vitam agentes crebro male se habere, qui matrimonio juncti ab incommodis præstant se immunes; & cum de suo morbo con-

consilium capiens mihi narraverit juvenis quidam febre ex chylo rheumatica, in chronicam lentam facta, & provecta laborans, se multo minus tunc temporis a coitu cum uxore debilitari, quam dum sanus degeret; cumque nullus dubitem, quin de superfluo turgentis chyli per ea loca, ista data occasione, effluat, atque aliquando gonorrhœam minime virulentam, at veram efficere valeat, quæ aliquibus etiam absque venere occurrit; cum tandem inveniam apud ipsum eundem Hippocratem, lib. 6. de morb. popul. *coitus morbis a pituita commodus* (pituitæ autem nomine crassum & viscidum sanguinis excrementum intelligebant Antiqui) in febribus inæqualibus mediocribus, non periculosis ex chylo, nempe post statum earundem, coitum in bonis habitibus non improbo. Mulieres etiam duplici de causa juvare poterit: & quia retenta menstrua ad uterum revocare valet, quod docet idem Hipp. lib. de genitura, ad id coitum frequentem laudans, qui *uteros humectat*, unde sanguinis tollitur plenitudo: & quia per conceptum impenditur etiam chylus, alioqui futurus superabundans, in fœtus nutritionem. Non ideo tamen coitus illis, quibus vetitus est, nefarie, turpiterque suadendus; neque enim tuto, certoque solus coitus curat has Febres, sicuti non curavit descriptum juvenem, qui aliis congruis remediis a me præscriptis restitutus est; sed hæc habui, ne omnibus indiscriminatim interdicatur. Eodem fere modo puerperis, febribus ex chylo laborantibus confert lactatus, veruntamen infans ut plurimum febriet ex chylo, quia cruditate ejusdem contaminatur lac; lactet qui expuat. Sudoris inepti incommoda jam satis retulimus, & alvi suppressæ. Retentam vero quamlibet aliam naturalem, vel artificialem consuetam evacuationem corpus ad hasce Febres præparare, easque natas amplificare ex suo loco dictis perspicuum est.

Ex fortibus, diuturnis, molestisque Animi motibus,

seu

ſeu affectibus frequentiora mala eſſe ſolent Febres ex chyli cruditate profectæ. Alii nanque, vires diſtrahendo, ac perdendo, chylum crudum reddunt, alii cruditatem, confundendo repente circuitionem maſſæ communis, in anguſtos meatus figunt; quamobrem eſodem vitandos eſſe, moderandoſque, nemo non videt. Digeſtiones, & ſecretiones juvare alterna quoruncunque mediocrium pathematum ſucceſsio, & mutatio dicitur a Sanctorio, in Stat. ſect. de Anim. affect. *Nunc hilares, nunc mæſti; nunc iracundi, nunc timidi perſpirationem* (& neceſſario præviam concoctionem) *magis ſalutarem habent, quam qui unico, licet bono, ſemper gaudent affectu.* Veruntamen id in fortioribus ſperandum; imbecilles ægrotantes, ac puſillanimes aut in nullo affectu mediocritatem ſervantes ab omnibus percelluntur, ideoque iis non favet alternatio; aut mœſtitia, & timor ipſis ſemper prævalent, quæ præ aliis inimica ſunt, atque has Febres ad chronicas, & chronicas ſymptomaticas maxime deducunt, quemadmodum Sanctorius aſſerit, aph. 3. de Animi affectib. *Timentes, & mœrentes facile obſtructiones, partium duritiem, & affectus hyppocondriacos patiuntur.* Omnes ergo Animi affectiones in his non tam mutandæ ſunt, quam contrariis temperandæ; ſic danda opera eſt, ut aſsidua Animi depreſsio aſſidua erectione ſuſtineatur. *Ira, & ſpes auferunt timorem, & lætitia mœſtitiam; paſſio enim Animi non medicinis, ſed alia paſſione contraria ſuperatur &c.* eadem ſect. aph. 12. *Melancolia duplici via ſuperatur, vel libera perſpiratione, vel aliqua continua Animi conſolatione*, aph. 27.

Diæta profecto, & regimen, quæ ægrotis conducunt, digeſtionem promovendo, etiam convaleſcentes a recidiva, & a morbo in conſtitutionibus epidemicis nondum ægrotantes præſervare poterunt; ex Sanctorio enim *nemo incidet in morbum, ſi ſedulo prævideat, ne cruditatibus laboret*; atque cruditate jam obſceſſorum ſalubri ſtatui reintegrando, cum aliis

rationalibus, securioribusque medicæ tutelæ auxiliis, erunt necessaria. Quamobrem ut sciamus, quinam hac indigeant vivendi norma, ut eos nimirum cognoscamus, qui etiam extra morbificas constitutiones imminenti subjacent calamitati; & ne nos exigui, negligendique mali specie fallat cruditatis principium, ejusdem tam externæ, quam internæ inditia sumenda ab causis prægressis, & ab signis, quæ vel cruditatem in primis viis denotant, talia sunt cibi fastidium, sitis &c. cap. de signis ad finem satis descripta; vel eandem in sanguine incipere indicant, cujusmodi sunt vertigo inconstans: *si oculi*, absque externa causa, *cum dolore vertuntur*, ex Celso: sic calor in volis manuum, ac pedum sub vesperas, sive per noctem; si hæc, aut alia ibidem notata adfuerint, has Febres timeto, ac paulatim superventuras præcave. Quod si etiam pulsus inconstanter, inæqualiterque moveri incipiant, jam inest ipsarum Febrium rudimentum.

Fontes igitur cruditatis statim exhauriendi, & causæ submovendæ. Quod ad cruditatem primarum viarum attinet, si a mala, aut nimia materia, nuper ingesta metuatur cruditas, quisque videt, rejectionem per vomitum utilem esse; si alvus recenter suppressa fuerit, nondumque alia incommoda turbant, lubricantibus alimentis satis est eam aperire; sin per aliquot dies eadem ista aut segnis, aut penitus restiterit, opus est medicamento, quo hæc quodammodo externa, videlicet extra sanguinem cruditas, seu mala præparatio destruatur; veruntamen nisi pristinus vigor, atque appetitus statim redeant, & secretiones cito non restituantur, mel solum comedendum præcipito, inquit enim Hipp. lib. de affectionib. *Mel cum aliis quidem comestum, & nutrit &c. ipsum autem per se ipsum, attenuat magis, quam reficit. Nam & per urinam, & per secessum plus justo expurgatur.* Sicque defectum secretionum, & damnum allatum rependit.

Cru-

Cruditas autem, etiamſi primarum regionum, raro bene ſolvitur ſolo jejunio, omnimoda ſcilicet a cibo abſtinentia, occaſio enim major præbetur rudi, atque impuro illic ſtabulanti, ingrediendi in ſanguinem, quum a motu ventriculi, & inteſtinorum, deficiente cibo, quem concoquant, excutiatur, atque a ſuccis gaſtricis diluatur, ab iiſdemque in lactea, recenti chylo vacua traducatur, magiſque inde venter exſiccatur. Jejunium quidem a crapula laudamus, donec ea ſolvatur; verum indigeſtionem duorum, triumve dierum, ſeu vetuſtiorem inædia, dicta de cauſa, minus tuto aufert, ſed purgatio. Præterea in quacunque cruditate homo ſtatim inædia, vel tenuiſſimo tractatus cibo durare nequit, & neceſſe eſt poſtea eundem, viribus a nimio jejunio fractis, alere, quod vero tunc ille ſumit minus digerit ob debilitatem, unde etiam ex hac parte cruditas. Hippocrates de vict. rat. in morb. acut. hunc errorem manifeſte reprehendit, ac in 1. Aph. 10. docet, initio victu clementiore utendum eſſe, *ut æger ſufficiat*.

Sin autem ipſo in principio mala præparatio appareat interna, videlicet in ſanguine; ſi ſanguinis plenitudo ipſam fecerit, phlebotomia illico celebranda; ſi chyli, catharſis; ſi utriuſque culpandi inditium adfuerit, utrunque remedium ſuis diebus convenit. Neque cunctandum, præſertim ſi ſecretiones imminui incipiant; nam in tali ſtatu, etiamſi chylus bonus, modicuſque ingrederetur, in ſanguine crudeſcit, & malum auget, ex alibi habitis; non enim fiunt utiles ſecretiones, donec nimium a copia detrahatur, deturque concoctioni aptitudo: *valde autem impletæ venæ nihil ex ſeipſis remittunt, priuſquam ſpacioſa capacitas ipſis contingat*. Hipp. lib. 4. de morb. num. 38. Tum phlebotomia, tum catharſis, itidem ſuo ordine, ac tempore, etiam adminiſtrandæ, licet vulgo minus opportunæ videantur, ſi hujus incipientis cruditatis cauſæ ex iis fuerint, quæ vaſa ſanguifera

 uni-

universa a suo tono deprimunt, spiritus animales dissipando, maxime si repentinæ extiterint, sicuti gravis syncopes, non ex inædia, neque ex immodica evacuatione, subitus Animi dolor immanis &c. in his nanque sanguis, & chylus nimii sunt viribus minoribus, quod ex ipso postea turgente pulsu deprehendetur.

Illi itaque, in quibus conijcitur interna incipiens cruditas, tum ex protractis recensitis incommodis; tum ex pulsu, etsi in quibusdam neque alto, neque frequente, tamen duriusculo, aut obtuso, aut inæquali; tum ex alvo diu sicca, aut parca; hi omnes dictis evacuationibus opportunis opus habent, & restricta vivendi ratione, saltem per quinque dies, valetunarii, senesque, sensim post tertium crescendo alimentum, si cesserit affectio; junioribus vero antea sanis tres respectus dies plerunque sufficiunt.

Si male præparatum fuerit aliquod peculiare viscus, sive primæ coctionis, veluti hepar, lien &c. sive secundæ, veluti pulmo, ejusdem quidem speciali curationi per propria remedia est incumbendum, interim tamen alvus libera servanda, ut crudum inde genitum efferatur, donec viscus illud in pristinum statum sit redactum.

Porro præservatio etiam prospicere debet correctioni intemperiei corporum, & pravitatis reliquorum accidentium. Corpora igitur stiptica fugiant cibos siccos, salitos, frigus aquilonium, exercitium in sole, tum superfluam in lecto moram ignavem; victu humido, & subducente sæpe utantur, descriptis herbis lubricantibus, parca, sed frequente fructuum comestione ad id conferentium, & coctorum, aut crebris clysteribus. Homines, qui nimium generant sanguinem, tum illi, in quibus sanguis ideo superabundat, quia magnum aliquod membrum vel demptum, vel imminutum recipit parum sanguinis, fere ex nimia sanguinis copia hujusmodi Febribus impetuntur, atque idcirco ea omnia iisdem

pro-

prohibenda, quæ ſanguinem multiplicant, ac inter cœtera, vinum; hujus enim, præſertim generoſi, uſus perquam periculoſus eſt, quia vinum ſanguini maxime eſt analogum, hinc Ariſtoteles *ſanguinem Terræ* illud vocare ſolebat; hoc præterea vel levi interna cruditate tactis, in bono aere, ſtatim interdicendum: poſt vinum iis omnibus malus eſt uſus *cocolatæ*, quia & hæc ſanguinem auget: hi phlebotomiam non raram adhibeant. Habitudines autem nimium chylum producentes inſuper abſtinere ſe debent a frequente eſu carnium quadrupedum, aviumque domeſticarum, præſertim pingujum, piſciumque capitonum, anguillarum, & ſimilium, atque eorum omnium, *quæ univerſim*, *ac velociter nutriunt*, quanquam eorum etiam *veloces fieri excretiones*, dicat Hipp. hujuſmodi ſunt lac, ficus pingues, uvæ maturæ, & dulcia fere omnia; excretiones enim iſtorum celeriter ſane fiunt in corpore penitus ſano, nequaquam in eo, cui de facili ſubeſt cruditatis morboſa radix; deinde quamvis *veloces excretiones* etiam *fiant*, permagna tamen pars eorum remanet, ac nimis cito, indeque crude hos implet, nempe quando *velociter nutriunt*; per excretiones nanque ſolæ inutiles fæculentæ partes eijciuntur. Multus porro chylus ſucci plenis quaſi repente ſuperadditus cruditatem, & pondus amplians viribus moventibus majus negotium facit, & ſic gliſcentem ſuſcitat morbum. Talibus cibi potuſque parciores, leves ſunt opportuni, dilutum vinum, labores, aut venus, balnea ad carnes ambitus derivantia, & in ſenioribus ſetacea, ſive cauteria; quandoquidem hæc diverſoria chyrurgica non modo præſentibus chronicis febribus curandis magnopere proſunt, ſed Febribus ex chyli cruditate ob nimium hujus proventum ſæpe obnoxios, præcipueque ſenes, præſervandi vim habet, quod ipſa Natura indicare videtur, dum quoſdam voraces ſimul, robuſtoſque homines, per abſceſſus externos, ab his Febribus reddit immunes. Quod ſi phlegmaticum, laxum,

ato-

atonicum fuerit corpus, nocent aquea, insipida, oleosa, somnus nimius, & quies; immo fame, siti, vigilia idipsum macerandum; hæc enim corpora exsiccant, itidem cibi friabiles, acidi, salsi, acres, vinum in sanitate adhibendum austerum sit, parcum, meracum, nigrum; corporis crebræ exercitationes juvant, ac ipsæ fortes, duræque frictiones: frictione, si vehemens sit, duratur corpus, & quia sensim demitur id, quod fibris interpositum eas laxas efficiebat, & turgidum hominem, & quia fibris iisdem datur impulsus, quo proprium motum intendant, ac melius agant in contenta, atque hac de causa frictiones etiam lassitudines tollunt. Lotiones ex mero solidum mordent, & remissum corrugant, ideoque utiles; hisce denique corrigendis frigidioribus magis ira prodest, quam alii Animi affectus, hæc enim magis movet, atque inde calefacit.

Multa ex traditis, ac præcipue postrema fere conveniunt in aere cœnoso, & palustri degentibus, atque in pluviosis, humidis, indeque aut endemiis, aut epidemicis constitutionibus, nec non quibusdam versantibus in constitutionibus malignis, occasione hujusmodi natis.

Veruntamen in epidemicis malignis, & contagiosis nulla efficaciora video ad præservandum auxilia, quam acetum, & allium. Nulla enim admittenda specifica præservativa, ut ut speciosa, nisi eas virtutes certo possideant, quæ morbis, eorum principia destruendo, adversentur; hæc præterea minus bene succedunt, nisi temperamentis, anni tempestatibus, morbosisque constitutionibus accommodentur. In epidemica, contagiosa constitutione & a causis communibus, & a miasmate, aeri communicato, magnum periculum; etenim digestiones, & secretiones ab causis communibus, ac præviis gravatæ, atque imminutæ, oppressis insuper a miasmate accepto spiritibus languidis, magis, magisque torpent, ac jacent; quamobrem illud indicatur auxilium, quod

utram-

utramque digestionem, ac secretiones reintegret, servetque, & miasmata corrigat, atque eorum noxam quoquo modo minuat. Ad primum horum duorum obtinendum, suum dant symbolum evacuationes superflui, quarum & ab initio præservationis mentio facta; hæque si aliis in casibus fere necessariæ sunt, in hoc maxime; tum selectus victus, & parcus jam alias inculcatus minime negligendus, ne unquam ex hac parte resistentia succrescat. Porro concoctiones, secretionesque in tali adversa constitutione periclitantes conservare opus est per remedium, quod viscera primarum viarum, & sanguifera vasa, etiam spiritibus affectis torpida, excitet, cogatque ad istas functiones suas omnes: quæ in attenuante, & lubricante diæta adumbravimus. Acetum ex Hipp. lib. 2. de diæta, *frigefacit, quia colliquans humiditatem in corpore consumit. Sistit autem magis, quam movet alvum.* Inter ea, quæ habet de aceto, lib. de humidorum usu, hæc ad nos faciunt: *Acetum ad corpus, & ad articulos simile est mari*, quod ad attenuandum, tum ad concoquenda, maturanda, seu suppuranda difficillima, antea commendat, *& potentius ad perfundendum, & ad fomentum.... & ad sanguinis grumos, & ubi nigredines sunt in pudendis.... sordes in auribus sanat &c.* ergo digerit, discutit, solvit, abstergit, quod paucis significat, dum dicit: *eliquat velut sal, ut & alia, quæ impetigini, lepris, ac vitiliginibus conducunt, affusum ad calidum Solem*, cruditati itaque luxurianti, gangrænis, & putredini resistit, etiam externe admotum; sumptum autem tam primorum, quam secundorum viscerum solidum confirmando, sanguineamque massam solvendo, & impuritates emittendo, *mollit & corpus, & multos alios locos*, nimirum secretiones salubres promovet; libroque de vict. rat. in morb. acut. numer. 28. ubi de aceto mulso, habet: *flatus etiam erumpere facit, & ad mictionem provitat.* Veruntamen quædam contradictio in positis

Hipp.

Hipp. textibus apparet, quum lib. citato de diæta, de eodem aceto legatur: *ſiſtit magis, quam movet alvum*: de humidorum autem uſu, aſſeratur acetum *mollire corpus*. Diverſo in ſtatu datum hos duos contrarios edit effectus; mane, jejunio ſorptum ſiſtit magis, quam movet alvum, quia viſcera inferna conſtringit ſtipticitate ſua, eaque minus cedunt deſcendenti alimento; a paſtu ſumptum mollit corpus, nam quum contrahat ſtomachum, & ſucceſſive ventriculum, efficit ſimul, ut concoquatur alimentum prius ingeſtum, & ad inferiora minus corrugata, indeque minus reſiſtentia pylus deſcendat, indeque excrementum ſucceſſive exprimatur; id a contrariis probari poteſt ex River. praxeos lib. 9. cap. 7. de nauſea, & vomit. ubi inter cauſas vomitus recenſet *ordinem aſſumendi* alimenti *præpoſterum*, *quando humectantia, & relaxantia poſt adſtringentia ſumuntur*.

Allium calidum eſt, & alvum movet, & urinam ciet corpori. Hipp. 2. de diæta num. 24. *Cæpe, allium &c. juvant perſpirationem* (& neceſſario præviam concoctionem ex Aph. 53. ejuſdem ſect.) *edulliorum ægre perſpirabilium*. Sanctor. in Stat. de cib. & potu Aph. 88. Igitur allium quoque & maxime concoquit, & ſecretiones tam ſenſibiles, quam inſenſibiles provocat. Idque pariter poſt cibum edere commodius, ne nimis irritet.

Acetum juvenibus, biliosis, æſtati, auſtroque dominanti magis competit, calidioribuſque morborum conſtitutionibus. Allium phlegmaticis, atque hyemis tempori, & conſtitutionibus obtuſioribus. Pro temperatis, & delicatioribus hominibus, aut mediocrium qualitatum tempeſtatibus, acetum melle adjuncto bene miteſcit; allium coctione ad ignem; eaſdemque, ſed remiſſiores habebit vires: *Allia & cocta, & aſſata urinam cient, & per alvum ſecedunt, & ad menſes muliebres conducunt*. Hipp. de af. Attamen quoniam varia, in talibus epidemicis, malignis, contagioſis conſtitutionibus; ab diver-

ſis

ſis cauſis generari ſolet cruditas, hæc antidota miſcere, ſimulque capere haud aliquando inopportunum erit, quo etiam ad invicem ſatis temperantur, habito tamen accidentium reſpectu in alterutrius plus minus convenientis quantitate.

Porro omnia odora acuta miaſmaticum aerem corrigunt, ac præ cæteris acetum, & allium. Quomodo hoc? Primum bullæ miaſmaticæ aereæ, vel potius aer viſcido, morticino miaſmate involvente incluſus (craſſum nanque viſcidum, & ponderoſum, nonniſi ob contentam multo majorem aeris quantitatem, ad volatum rapi poteſt, aeris vero major quantitas a craſſo & denſo nequit contineri, niſi in phialam, ſeu bullulam facto: id patet in nebulis, atque ex earundem globulis, ſeu folliculis, oculo ipſi viſibilibus: miaſmatis autem partes duas eſſe, alteram levem, alteram ponderoſam, etiam alibi probavimus ex Sanctorii Stat. de ponderat. aph. 75. & 77.) os inſpirantium ingreſſurus, rupta bulla ab acido, aut acri volatili, ex ore acetum, vel allium depaſtorum, ſeu in faucibus ipſis continentium, expirato, exit, & purgatur, caditque miaſma, ſicuti favillæ, ſeu globuli ignei rupti, avolatoque aere incluſo, & amiſſo motu, in exiguum deſinunt deciduum cineris vellus. Etenim bullæ ipſæ ex aqua, & ſapone confectæ aerem comprehendentes, ſi acetoſo, perlevi etiam, ac patulo afflatu, aut ſi abraſo allio tangantur, ſtatim dehiſcunt, & magis a primo. Deinde utrunque corrigit intus ipſa miaſmata, cum ſaliva deglutita, in primis viis adhuc exiſtentia: acetum ſcilicet eadem condiendo, & alterando, ſic cadavera diu a putredine ſervat, quominus fœtore lædant: allium attrahendo, atque exſiccando, adurendoque cauſtica vi; utrunque ſtimulo cathartico deturbando, & ad ſeceſſum depellendo. Tandem in ſanguineam maſſam & per inſpiratum, & cutem ingreſſis miaſmatis talia præſervantia multifariam

opponuntur, atque medentur. Miaſmata afficiunt vitales ſpiritus, ipſis adhærendo, eoſque ſiſtendo, atque opprimendo; hæc autem remedia prorſus contrariis effectibus damna miaſmatum arcent, ac delent; ſiquidem utrunque percellit etiam odore ſpiritus animales, ac per conſequens univerſum ſyſtema nervoſum, cor, vitaleſque ſpiritus concutit, excitatque; nam acetum *odore offendere maxime mulieres*, tradit Hipp. loco nuper citato, de humidorum uſu; allii vero odor tum ſyncope detentos, tum ſemimortuos infantes quadantenus commovet, quod nemini notum non eſt; & cum ſanguine circumeuntia, jam per chyliferos ductus ingreſſa aceti ſpicula, aut allii poroſa, aſpera, ignea corpuſcula, cor, vaſaque ſanguiduca immediate mordendo, ac vellicando, ſpirituſque vitales exacuendo, abradendo, ac motu concitato ſecundum omnes partes agendo, hos a miaſmatis prohibent, & extricant; hinc miaſmata æquilibrium virium cum reſiſtentia non deprimunt; immo, ſic accelerata univerſæ maſſæ circuitione, ac ſecretionibus promotis, ipſa damnoſa viriliter eliminantur.

Demum quoad præſervationem in reliquis fortuito obvenientibus, conſtare puto ex jam ante allatis, in forti labore, ac in violento quocunque Animi pathemate, & ſimilibus, quæ ſpiritus a concoctione diſtrahunt, & diſſipant, parce alendum eſſe, ac maxime digeſtibilibus, ne ſubrepat chyli cruditas, ex eaque Febris.

LAUS DEO SEMPER.

ERRATA CORRIGE

NON multi quidem (si commata , seu incisiones vitiose crebriores primis in paginis excipias, quasdamque erroneas diphthongos) insunt huic editioni errores, horum etiam nonnulli , qui Typographum , meque effugerunt , etiam in impressione a me corrigebantur, ideoque non omnia errata in omnibus reperientur voluminibus ; omnia nihilominus , saltem quæ sensui obesse queunt , quoad fieri potest, corrigentur , ut si in ea Lector offendat , minus librum habeat invisum .

Namque	p. 5	Lege	nanque
tribns	8		*tribus*
opportet	12, & alibi		oportet
hæbetatio	15, & alibi		hebetatio
quocumque	ibidem		quocunque
æffæta	16, & alibi		effœta
pecante	17, & alibi		peccante
ealor	26		calor
callidioribus	29, & alibi		calidioribus
rictu	95		victu
quo	98		quando

NOI REFFORMATORI

Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la Fede di Revisione, & Approbazione del *P. Fra Paolo Tommaso Manuelli* Inquisitor General del Santo Officio di Venezia nel Libro intitolato *De Febribus ab Chyli cruditate productis*, *del Dottor Giuseppe Rocca*, non v'esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro; niente contro Prencipi, e buoni costumi, concedemo Licenza à *Odoardo Foglietta Stampator di Feltre*, che possi esser stampato, osservando gl'ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padoa.

Dat. li 28. Decembre 1750.

(*Z. Alvise Mocenigo II. Reffor.*

(*Zuanne Querini Proc. Reffor.*

(

Registrato in Libro a Carte 38. al Num. 401.

Michiel Angelo Marino Seg.